


1294



189.



ov R

1. Sam. Hüber bauhays der beyßheit
der Heidelberger Theologen in dem
ausgesprochenem gemäßen der
Zehnte bauhays. 1590
2. ejusdem gründliche bauhays
des Jesus Christus für die sünden
aller welt geschehen zu
1590
3. ejusdem gründliche antwort
auf die der jesuiten theologen
gegen bauhays. 1593
4. ejusdem gegen die der Lutherischen
und Calvinischen bauhays 1592.

6

DISPUTATIO
Prima contra Calvinistas.
DE FINE, AD
QUEM HOMO
CONDITVS.

Habenda, DE O adspirante,

Praside

SAMVELE HVBERO

Heluetio, Professore S. S. Theologiæ in
Academia Vitebergensi:

Respondente

M. IOHANNES TERELLIO

LAVBACENSI.

Viteberga in Auditorio publico, Anno 93.

2. Martij.

Denuo excusa.

VVITEBERGÆ
Typis Zachariæ Lehmanni.

M. D. XCIII.

80-4



In Disputationem

CLARISSIMI AC
REVERENDI VIRI, Dn. SA-
MVELIS HUBERI, PROFESSORIS
in celeberrima Academia Leuco-
rea dignissimi.



*V*l solam paucis tribuis Calvine
salutem,
Et mala das reliquis persol-
uenda viris.

*V*tere nunc lingua, nunc omnes exere vires;
Acriter errorem fac tueare tuum.
Est tibi propositus certandi campus apertus:
Materies prostat rebus & apta tuis.
Ergo age si quid habes, profer: nec dēte Lupino
Privatos inter carpito dogma lares.
Rodere, de sacris atq; inter pocula rebus
Differere insulse lingua tri sulca potest.
In publicum prodi: doctrina clarus Huberus
Conuellet fraudes Calue Sophista tuas.

M. Cornelius Bockelius
Olde nbu rgenfis.

DE FINE, AD QVEM Homo conditus.

I.



I quærimus de fine, ad quem Homo conditus sit, quæstio est, de fine per se, qui consideratur in ipsa opificis mente, ubi is hominem deliberato consilio ad usum & finem aliquem certum & definitum constituit condere, & eò opus illud produxit.

2. Hunc finem non ex humana ratione inuestigare licet: sed ex verbo, in quo DEVS, mentem & constitutum à se finem de creatione hominis manifestavit.
3. Sic enim Moses inquit: Et vidit DEVS, quòd esset bonum, & ait: faciamus Hominem, ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit &c. & creavit DEVS Hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem DEI creavit illam, masculum & foeminam creavit eos, benedixitq; illis DEVS, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram.
4. Hic Moses aliqua coniungit, quæ ad explicationem instituti simul concurrunt.
5. Nam primum hoc est, ut sciamus, finem, quem DEVS proposuit sibi in creatione hominis, ad totam humanam naturam, quæ in primis residebat conditis hominibus, seu ad totum pertinere genus humanum.
6. Cùm itaq; quærimus de homine, ad quem finem sit conditus, totam intelligimus humanam naturam seu totum genus humanum, nullo homine excepto.
7. Sicut Moses, in creatione hominum primæuorum testatur, omnes in lumbis ipsorum positos, ad eundem finem, &

*Finis Homo
conditi. è scri-
ptura peti-
tenda.
Gen. 1.*

qualiter fuisse conditos, vt constat; cum antequam eis soboles vlla esset enata, illicò subijcit consilio DE I de creando homine, quod is benedictionem & multiplicationem inprotoplastas effuderit, omnesq; quotquot ex eis orituri erant, in eodem fine creationis simul comprehenderit. Vnde ritè inferimus, in lumbis eorum omnes & singulos homines ad DE I imaginem esse conditos.

Confessio 8. *Caluinistarum de imagine Dei.* Quin imò Calvinistæ ipsi concedunt & asserunt nobiscum omnes homines ad DE I imaginem, scilicet ad illum finem, ad quem Adamus & Eua, conditos esse.

Thesaurus vera & orthodoxa si dei, fol. 72. 9. Hæc enim sunt verba Bezzæ, Zanchij, Ursini, Hemingij & Grynæi, in libro confessionis ipsorum: *Apud se ab atere no constituit, primum quidem omnes homines tum creare ad sui imagine &c.*

10. Et ne quid dubium occurrat, sic definiunt Imaginem DE I: *Imago DE I est sapientia, iustitia & beatitudo perfecta, in qua Homo est conditus, & in quam beneficio Mediatoris restituitur, hoc est, mens rectè agnoscens DE I naturam, voluntatem & opera, &c. mox: totiusq; hominis puritas & integritas, perfecta beatitudo & letitia acquiescens in DE O.*

11. Hæc ab initio ex scriptis eorum annotare libuit, vt primò constaret, veritatis vi inexpugnabilis ipsos in conscientia sua conuictos esse, omnes homines, nemine excepto, ad DE I imaginem, & talem quidem imaginem, qualem ipsimet describunt, conditos esse: Deinde omnia ea, quæ contra hanc suam confessionem scribunt, ideò scribi ab illis, vt agnitam veritatem de industria subuertant, & illud destruant, quod ipsimet norunt DE I immotam esse veritatem: nisi dicere malimus, eos hac quoque in parte, sua consueta fraudulentia vti, vt concedant aliqua, & cum scriptura & nobiscum aliquando verecundè loquantur, vt incautos, in eo, quod his ex diametro opponunt, astutiùs & callidiùs circumuenire possint.

12. *Acquis*

12. Acquiescimus autem hoc in loco, ipsorum confessione, de imagine DEI, & de vniuersitate hominum ad eam conditorum: & fatemur, si in hac perseverarent confessione, nullum inter ipsos & nos de præsentis quæstione controuersiam fore. Quomodo autem istæ euertant, atq; seipso deuorent, quomodo hæc damnent, quæ nobiscum confessi sunt, & homines sese faciant nihili & fraudulentissimos, postea indicabitur.

13. Possumus autem nos imaginem DEI, sic quoque *Imago Dei.* describere: quod fuerit in intellectu lux agnitionis diuinæ, in voluntate conformitas legi DEI, & in omnibus viribus cum DEO *ἀρετή* congrua summaq; perfectio, sicut Paulus hanc DEI imaginem definit perfectione qualitatuum, iustitia scilicet, & sanctitate, Ephes. 4.

14. Nunc itaque satis est, quod in confesso sumimus ab ipsis Aduersarijs, quod ad eiusmodi imaginem DEI, quæ lætitia acquiescente in DEO (sicut ipsorum verba habent) omnes & singuli homines, quotquot ex Adamo orituri erant, consilio & opificio Dei conditi sint.

15. Deinde, consilium DEI conditioni omnium hominum sic attribuimus, vt nullum aliud de homine aliquo in alium finem condendo, à DEO decretum & constitutum esse, asseramus.

16. Alioquin, vt primùm duo ibi emergerent genera hominum, duo quoq; vtriusque conditores nobis statuendi essent.

17. Tertiò, quoniam omnes ad eandem vnus conditoris æqualiter & pariter sunt conditi homines, imaginem, hoc volumus nobis inconcussum retineri, quod ipsimet aduersarij in citatis verbis concedunt: *Homines conditos esse omnes in illa imagine, & consilio DEI, ad puritatem, perfectam beatitudinem & lætitiã in DEO acquiescentem.*

18. Hoc posito, (notabis enunciationem esse vniuersalem affirmatiuam) remouetur iam vltro eius ἀντιφασικόν, ubi asserunt, ALIQUOS, imò etiam χριστοῦ ἀλλήλων, homines plerosque DEI consilio seu ratione finis suæ conditionis, NON ad puritatem, perfectam beatitudinem & lætitiã in DEO acquiescentem, sed ad ignominiam, ad mortem, & ad infanda scelera, & denique ad infinitos cruciatus, esse conditos.

19. Sicut etiam ex hoc constat, quòd contradictio illa persistere non possit, cum imago DEI, non sit imago scelerum, neque etiam ignominie & mortis, multò minus cruciatuum & Gehennæ. Manifestum enim est DEVM non esse Diabolum, sicut scriptura expressissimè idem quoque testatur, cum nos excitat ad restaurandam, quæ per lapsum Adami ingruerat, labem, Roman. 8. Ephes. 4. vt denuo reddamur conformes imagini filij DEI, in iustitia & sanctitate.

20. Et aduersarij ipsi hoc nobis dare, aut Mosen omnemque scripturam abnegare coguntur.

Finis ad quem Homo conditus.

21. Si itaque quaritur, ad quem finem homo sit conditus? Respondemus: ex certo consilio & manu DEI in primo homine, omnes homines conditos esse, ad DEI imaginem: cui imagini, beatitudinem, gaudium & fruitionem summi boni meritò ascribimus.

22. Et planè excludimus omnes illas sceleratas voces, hominum plerosque ad ignominiam, ad scelera &c. aut ad mortem atque Gehennam, in Adamo esse conditos.

23. Quòd si enim tale aliquid concederemus, non modo DEVM faceremus bifrontem, sed duplicis naturæ, & contrarie in vno indivisibili Ente, naturæ.

24. Statuereturque DEVS, causa prima, fons & origo, tum boni, tum mali.

25. Et eò vberior mali fons, quò maior esset multitudo ad mortem, quam ad vitam, conditorum.

26. Imò

26. Imò DEO tantillum gloriæ, respectu vitæ relinqueretur, quantulus ille ab aduersarijs statuitur manipulus electorum ad vitam, quos dicunt ad finem salutis solos esse conditos: reliquum in DEO, & maxima quidem huius pars nihil nisi mors & Gehenna statueretur.

27. Aut itaq; aduersarij DEVM Empedocleum facient, litis primò in se, deinde vitæ simul & mortis scelerumq; auctorem: aut viderint, quomodo istæ inter se conciliare possint.

28. Atque facilè in suis deprehenduntur horrendis blasphemijs, cum hominibus omnibus attribuunt imaginem DEI, ratione creationis, ijdemq; eadem creationis ratione asserunt, plerosq; imò propè omnes homines (electos enim tantum, id est pauculos suos homines excipiunt) ad flagitia & interitum, atque ad infinitos dolores & cruciatus Gehennæ, absolutè à DEO esse conditos.

29. Verùm priusquam progrediamur ad recludendam sectæ huius abyssum, hoc etiam præmonere oportet, magna illos asserere fraude, quòd simpliciter ad Gehennam, ipsorum opinione conditos, etiam sine bono eò esse conditos asserunt.

*Quomodo
fraudulenter loquantur de sine bono.*

30. Imperitiores huius certaminis, audita hac confessione, omnes homines indifferenter ad finem bonum esse conditos: & ignari, quomodo istæ à sensu verborum iterum distorqueant & interpretentur, planè existimant, eos de tali sine hominis loqui, qui spectet ad veram & communem fruitionem illam boni, in DEO.

31. Hoc autem nequaquam volunt, vt postea dicetur: & de bono trocitanes sine, nihil aliud intelligunt, quam DEVM suum, quem fingunt & colunt, sibi ipsi hanc summam asciscere gloriam, homines rapere, ac perdere, & ingenio hoc esse per se, & homines eo condere, vt truculentissimæ huius & beluinæ tyrannidis gloriam, ex illorum perditione reporter.

32. Quo

Quidem De 32. Quorum etiam sententia eò spectat, ut si Dionysios, *umfaciam.* Phalarides, Nerones &c. videamus, putandum sit, hos longè in nativa sæuitie inferiores esse Deo, quippe qui hos tantò plus antecellere velit gloria inexhaustæ crudelitatis, quò maior ipsi potentia & vis est, quàm in homine sit: & ex quo tanquam fonte scateant in alios homines hi defluxus, ut ad similitudinem archetypi sui, sæui & crudeles hi quoq; fiant.

33. Respectu itaq; DEI bonum hunc, per fraudem comminiscuntur finem: & bonum illum finem neutiquam referunt eò, quatenus Homo est bonus, seu ad bonitatis participationem conditus.

34. Nos autem tam abest, ut talem DEVM glorificare queamus, ut etiam pleno ore asseramus, eos magnam DEI partem, id est, omnem illam, in qua se super omnes Dionysios, Phalarides & Nerones gloria crudelitatis efferre ab istis putatur, in Diabolicam quandam transmutare naturam.

35. Non enim vnquam vllò titulo vero & legitimo hic finis, ipsi etiam Deo, qui summum est bonum, bonus existere possit.

36. Nam si hominem spectemus, nihil nisi malus, pessimus, ac perniciosissimus cervici ipsius incumbit, ut modò diximus: Si DEVM verò spectemus, nihil boni in hoc quoque prædicari potest, si naturali quodam & iniusto odio homines, nihil tale meritos, in escam & pabulum absolutæ & iniquissimæ malevolentia condant, & ideò condant, quia gloriam quærat in miseris hominum.

37. Vnde sanè, si talis esset, filij hominum eum laudare & glorificare non possent.

Bezavol. 1. 38. Idcirco habeant Calvinistæ sibi & DEVM & doctrinam hanc, in qua tradunt, DEVM propter gloriam suam ad cruciabile exitium homines creasse.

fol. 340.
343. 354.
358. 700. 39. Etsi autem post finalem causam, qua reprobos ad exitium conditos esse tradunt, intexant postea causas medias, trahentes

trahentes opus istud exitio destinatum, ad damnationem: nihil tamen aliud est, nisi quò absolutam DEO ascribunt in perdendis hominibus voluptatem, eumq; faciunt, qui sui gloriam inde maximam quærat.

40. Vnde sanè ipsius naturam talem esse volunt, ut satis apertè declarant, quæ in se delectetur hominum ruina & miserijs, & suum in eo commodum gloriæ quærat.

41. Sic enim appellant absolutum decretum DEI, in res probandis hominibus & condendis ad reprobationem *coessentialiale cum diuina essentia.*

Georgius Spindlerus, im sehr notwendigen Bericht, fol. 378.

42. Quapropter imaginem DEI vt definiant talem, respectu plerorumq; hominum, necesse habent, qualem in sceleratis & ad Gehennam ruentibus hominibus conspiciamus naturam. O scelus. Nec plus effari possumus.

43. Imo, Deum ipsum talem faciunt, qui ad Gehennam ipsemet ruat, quia quod facit homo iste, qui ruit, id iuxta proprietatem eius facit, cuius in sese imaginem portat. Et nihil facit in fine creationis suæ, nisi quod de ipso DEO dici & prædicari potest.

44. Sicut Rennecherus hanc sectæ suæ Cabalam probè illustravit, cum vlulans de fine hominis conditi ad interitum sic dicit: *Nam causa qualibet, quemadmodum effectum suum producit, sic etiam EFFECTVS SVAM CAVSAM, qualis ea sit, vicissim declarat. Essentia effecti vt est per suam causam, sic etiam cognitio causa est per suum effectum. Nam qualis causa præcesserit, tale effectum sequatur oportet.*

Aurea sal. cat. fol. 131.

45. Hic nemo obstrepat amplius, DEVM non posse talem describi ex proprietate effecti sui: cum quisquis iam sese opponit, & occultare vult hunc Calvinianum Diabolum, Rennechero magnam faciat molestiam. Res enim est in aperto, quid velit & quid sentiat, & ad quem finem existimet, hominem perdendum, per se esse conditum. Neque porro obscurum est, quem hic Cybeles Sacerdos colat DEVM, suaq; inscribat sectæ.

B 46. Hæc

46. Hæc Calvinistarum scelera scelerum patefacere Christiano populo satis est, & confutatione proluxa non egent.

47. Atq; hic insuper hoc quoq; ab initio monemus, nullam planè esse controversiam, an aliqui hominum à D E O conditi pereant & condemnentur,

48. Hoc enim asserimus: negamus autem, hunc in consilio D E I, cum facturus erat hominem, propositum fuisse finem: & dicimus, omnes æqualiter ἀπροσωπολήτως ad fruitionem vitæ & boni in D E O, creatos esse, atq; ita, vt quicquid vni hominum attribuitur in conditione sua, id commune sit omnibus,

Non agitur
de fine acci-
dentario.

49. Neq; cum adversarijs, de accidentario aliquo fine, quem homo sua culpa propria, & protrita conditione ortus sui, sibi accersit: sed de hoc conflagimus, quòd aduersarij asserunt, nobis negantibus, D E V M contrariò sine homines in vno Adamo condidisse, suoq; beneplacito æquè perdendorum miserijs, atque paucorum saluandorum felicitate, gauisum fuisse.

50. Vt autem, quid egurgitent hac confessione, satis pateat, ordine aliquo digeremus ea, quæ in scriptis eorum sparsim leguntur, atque præcipua quæque in lucem profereamus, vt Rennecheri, quem Pierius in hac Academia propter librum illum tantopere commendauit, sententia magis elucescat & constet, quid sit, quòd vult hominem malum, tanquam effectum D E I, sui effectoris proprietatem, nobis demonstrare.

Notio prima, qualem statuunt finem hominis.

51. Et primò quidem tenendum est, quòd tradant, homines malos per se ad malitiam & reprobationem esse conditos, hoc est, definitum consiliū fuisse effectoris seu opificis, vt prodirentales per se, quales postea euentus designat, eos esse.

Hæc

Hæc enim lineamenta scelerum & mortis, volunt lineamenta esse, in quibus DEVS sit agnoscendus & glorificandus.

52. Vt itaque constet, quid de gemino contrario fine sentiant, in quem DEVS absolutè, ut tradunt, distribuerit genus humanum, hæc illorum doctrina notanda est, qualem Beza in Diagrammate suo proponit, in quo ex decreto DEI diducit genus humanum ad dextram & ad sinistram, ratione finis, ad quem contrario seu opposito modo, genus humanum à DEO conditum & productum esse, tradit.

Contrarii fines in creatione hominis.

Volum. I. fol. 170. 173.

53. Vbi itemque ex decreto DEI scaturiginem educit, dextrosam ad saluandum, & sinistrorsam ad perdendum homines, & utrinque urgendi ac propellendi, vi incommutabilis decreti, singulos homines ad suum finem, per causas è decreto illo absoluto effluentes, & in vnoquoque suum efficietes finem.

54. Quapropter postea addit, *homines conditos DVORUM MODIS PENITVS diuersis*. Satis hoc manifestum, quòd loquatur de fine per se.

55. Quanta itaque vis, quanta voluntas, quantum illud consilium DEI fuit, ut aliquos ad fruitionem boni concederet: tale tantumque, & longè, quo plures sunt perdendi, quàm saluandi, maius & grauius fuit, opinione horum, in absolutè perdendis plerisque.

56. Audiamus Calvinum, sectæ huius Hæresiarcham, sic Infit lib. 3. is: *Prædestinationem vocamus æternum DEI decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de vnoquoque homine fieri VELIT: NON enim PARI CONDITIONE CREANTVR homines: sed alijs vita æterna, alijs damnatio æterna præordinatur.*

cap. 21. sect. 5

57. Imparem hic manifestè constituunt hominum conditionem, cum aliquos & plerosque autumant esse conditos ad turpitudinem scelerum & mortis: aliquos autem ad honestatem & vitam. Atque iam reminiscere, quòd tamen asserant, omnes esse conditos ad DEI imaginem. 58.

58. Non ad beatitudinem omnes (nota iam iterum, quid de imagine DEI, in præcedentibus confessi sint) conditos esse, Beza his verbis docet: *Sin autem finem aliquem sibi proposuerat, quæro ex te, quis ille fuerit? Omnes homines beatere, dices. Explica igitur, quæ non sint incerta & infirma DEI consilia? quæ non sit DEVS varius & inconstans? qui non sit prorsus imbecillus &c.*

59. Bezæ sententia est, neminem omnium hominum in bonum conditorum finem, perire posse, aut perire vnquam potuisse.

60. Si pereant, DEVM creatorem incusat incertitudinis, infirmitatis, varietatis, inconstantia & imbecillitatis. Satis ne ista tum manifesta, tum atrocia?

61. Et ex eo, quod aliqui pereunt, inde colligere vult, non omnes ad beatitudinis finem esse conditos: scilicet Deum multos in hunc finem produxisse homines, quibus nihil boni & nihil salutiferi accidere debuerit: & quorum beatitudine, si qua eis accideret, Deus simpliciter irritaretur, & grauius offenderetur, veluti sine voluntati ipsius ex diametro, aduerso.

62. Quocirca cum hanc habeant, opinione hominum istorum rationem ortus sui, fieri aliter non potest, quam quod Deum, quoties orare, quoties poenitentiam agere, quoties in coelum suspirare conantur, grauius aduersus se accendant, & sese pietatis studio, magno suo malo divexent.

Aurea sal. 63. Huc contorquere solent illud, quod Paulus dicit: *Non est currentis, sed miserentis Dei.* Et Rennecherus eam ob causam impio libro suo hunc titulum facere non erubuit, ut constaret eum à conatu pietatis, & spe salutis, eos in limine etiam arcere, qui currendo & appetenda salute consulere sibi volunt: cum sciri & agnosci velit, Deum plurimorum cursu & nisu ad salutem, tantum ad iram prouocari,

64. Plura

64. Plura ex Beza: *Qui sit igitur, inquit, cum aperte testentur sacra litera, DIV M gloria sua causa a condidisse etiam impium ad diem iusti exitij, tu contra existimas, DEV M OMNES in Adamo ondidisse, ut eos vita beata donaret?* Mox: *Nam si omnes homines condidit eo consilio, ut omnes servaret, cur non omnes servat?*

Volu. 1. fol. 418.
a
Beza mentiris textus non ita se habet, est enim Paal & non Bara, Mentiris in Mosen & Salomonem.

65. Consilium DEI appellat hoc, cum DEV S dixit, *Faciamus hominem ad imaginem nostri: in quo constituisset Deum, tradit homo iste, non omnes homines ad vitam beatam condere, sed sine penitus, ut supra dixerat, diverso, & ut Calvinus dixit, ad condemnationem aliquos creare.*

66. Atque vtiluculenter constat, quod DEV S in ipso consilio creationis & in ipsa Adami creatione, hominum multorum vitam & felicitatem nunquam horum opinione, sibi proposuerit, sic & Bezae & lociorum verba sonant: *Proinde decretum DEI de servandis & damnandis hominibus, dici recte potest, esse certa praescientia, definita q, voluntas, quibus se ab aeterno CERTOS homines, CERTIS medijs atq, modis, CERTIS temporibus, & CERTIS causis, aut misericorditer servaturum, aut a iustissime damnaturum b praesciuit, ac c praesinuit.*

Thesau. veru & ortho. fideis fol. 39.
a
Ita quidem absolutum decretum non esset, nam falsaciter hoc vocabulum hic intrudit, ut alias etiam frequenter.
b
Est fucus.
c
Hic proprie cructat mysteria sua.

67. Hinc satis patet, quod non loquantur de fine aliquo accidentario, quo homo fit sui exitij causa: sed sine, quem sibi is proposuit, qui autor & conditor est hominis, & de fine, in quem condiderat hominem, non conditurus eum, nisi hunc finem in animo habuisset: & liquet, quod manifeste tradant, ad finem pereundi homines esse conditos, & DEV M absolutè statuisse, hisce hominibus vti tantum ad cruciatus & mortem sempiternam, neq; erga illos vnquam animo affectum fuisse bono & paterno, etiam in ipso consilio creationis, imo nectum quoq; cum dicebat, *faciamus hominem ad similitudinem nostri.* Erant enim secundum blasphemias istorum hominum, haec omnia tonitrua & fulmina, & meræ flammæ Dei in homines ad perniciem condendos.

68. Optio



68. Optimus autem verborum horum Scholiastes est ipse Beza, qui thesauro illi subscripto legitur. Sic enim inquit: *Hoc dico, nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo voluerit, velit, aut voliturus sit singulorum misereri: sed ab eterno pro a bona sua voluntate, & ea quidem, cui resisti non potest, constituisse & quorum in Christo miseretur, & quos in Christo INDURARET.*

Resp. 2. ad
Colloq. fol.
194.
a
scilicet.

Modus certus
pereundi qui
fit iuxta Cal-
uinistas.

Indurati in
Christo.

In 1. Pcc. 2.
vers. 8.

69. Hæc Bezae verba valdè sonora, aperiunt Grinæi intricata emblemata, quæ blasphemijs suis inferere solet: atq; ostendunt, quid vox illa (certum, certis medijs &c.) sibi velit. Non enim finem tantum ad ineluctabile exitum demonstrant, sed etiam certum & definitum arque à DEO præscriptum insuperabilem modum ad perditionem simpliciter ruendi, describunt.

70. Et notatu dignissimum est, certum modum pereundi appellari *Indurationem in Christo*, cui indurationi resistere non queant, ad eam, opinione eorum, conditi.

71. Nec obiter tantum noteretur, sed penitus introspectiatur quid velint, cum profitentur homines esse conditos absoluta voluntate (huc enim omnia, ut infra indicabimus, referunt) ut in Christo, Christo inquam, imo Christo Filio DEI viventis indurentur. Hoccine est Christum mundo prædicare? Hoccine prædicare, quòd Christus non venerit ad perdendum, sed saluandum?

72. Eiusdem est sententiæ alibi Beza, cum tradit, per se singulis hominibus Christum esse positum, siue, ut explicat, destinatum, (absque respectu incredulitatis, nam hæc in ipsorum necessitate absoluta nullum locum habet) vel ad ruinam, vel ad vitam.

73. Duo sunt tremenda conuitia: hominem esse sic conditum finaliter: & perditionis huius sulphur seu materiam residere in fonte & autore Christo, cuius vi & efficacia fiat, ut homines indurentur, & sulphur illud in eo accendatur, in quo

quo reprobi ab his conditi perhibentur. Ecce, quod Christus materiam Gehennæ faciant, in maxima hominum parte.

74. Hanc strictam DEI ad perdendos homines voluntatem alius Calvinista anonymus & prodiens ex schola Neuseriana, sic explicat, ut dicat, conditos ad interitum, nullo unquam momento ullam DEI delibasse gratiam, & ab ipso conceptionis suæ momento continuis iræ diuinæ flammis arsisse.

Guldenkleb
not. fol. 42.

75. Hinc fit, ut ob hanc causam, & propter hoc doctrinæ suæ principium in Baptismo vel nullam penitus, vel incertam gratiam conferri putent.

Q 11 de Ba
ptismo sen
tiant.

76. Nam hunc Tartaræ iræ phlegetontem in omnes, qui selectorum, ut ipsi describunt, numero non censentur, adeò deriuant in hominum maximam partem, ut in ipso Baptismo has irarum absolutarum procellas hominem ad reprobationem conditum, insectari & infestare, omnemq; gratiam Dei simpliciter exurere, & fontem salutis abolere, statuant.

77. Quocirca, sic etiam Bezæ verba explicatiùs intelliguntur, cum, ut audiimus, tradat, voluntati DEI resisti non posse, Dei inquam, qui hominum istorum nullo momento misereri, sed in ipso baptismo, & ipso adeoq; Christo, & ipsius sacrosancto fonte, ubicunq; ei Christus demonstratur, perdere & indurare, voluerit.

78. Zanchium etiam accersamus, hominem Cabalæ sectæ suæ valdè prodigum, qui non finem tantum nominat, sed etiam media fini ad perdendum homines annectit, Deoq; sic ascribit: *Quomodo enim ab operibus præiis fuit motus DEVS, cum potius ad hæc admittenda CREARIT, & varijs modis induravit? Mox: Manifestum sit, DEVM ita esse liberum & absolutum omnium Dominum, ut possit non solum misereri, quorum velit: verum etiam CREARE ad MALOS vsus, indurare & PERDERE, a quos libeat.*

De nat. DE I.
fol. 670.

Id est, absolutè, absq; respectu hominis culpa, sicut absolutum appellant decretum.

79. Hoc

79 Hoc itaq; valde manifestum est, quòd statuunt, finem perditionis in DEI unica voluntate esse positum, atque inde necessitatis legibus directè effluere in miserè conditos homines, cum dicit, conditos esse ad scelera admittenda, ut malus tantùm & nunquam bonus hominum istorum esset vsus: Et breuiter, ut nullus horum vsus esset, nisi sint miseræ creature, in quas DEVS exonerare velit absolutum odium, & satiatis hoc tanto odio ipsius, atq; demum accensos, æterno supplicio afficere velit.

80. Non plura iam recitabo sectæ huius pronunciata, de fine, ad quem statuunt plerisq; homines per se esse conditos. Puto enim abundè sufficere, cum audamus illorum sententiam esse, homines, diuersis penitus motis esse conditos: non pari conditione conditos: non omnes ad beatitudinem conditos: ad perniciem conditorum DEVM nullo vnquam consilio, nullo vnquam momento misereri voluisse: conditos duntaxat esse ad perditionem: conditos esse duntaxat (hoc enim vult vocabulum absolutum, cui ista omnia subiiciunt, ut postea audiemus) ad malos vsus &c. & ad admittenda peccata à Deo creatore esse creatos, &c.

81. Hæc, inquam, cum tradant, existimo abundè satis declarari, quòd Deum faciant opificem & autorem duplicis generis hominum, discreti inter se, absoluta opificis vel creatoris voluntate in duos contrarios, sibiq; è diametro per se vtrinque oppositos fines, vitæ & mortis.

82. Vnde iam facilè constat, quàm fallaciter omnia de imagine DEI loquantur: atq; in plerisq; hominib. nullam aliã imaginem statuunt, quàm ebullientem omni flagitiorum turpitudine eluuiem hominis ad contumeliam conditi.

83. Asserimus autem disertè, doctrinam illorum manifestè pugnare cum verbo DEI, & sana doctrina, atque eò insuper prospicere, ut DEO vero mentibus humanis emoto, aliquando sæuum suum substituunt Dæmogorgonem, cui suum

suum destinant cultum, religionis Christianæ fundamentis
sensim euerlis.

84. Horrenda utique hæc sunt: sed longè horribilior
est summa horum omnium, quam Calvinus proponit, cuius
discipuli isti suxerunt mammæ, ubi inquit: *Interea notandum
est, electionem DEI a superiore esse ipso Adæ lapsu: & ideo
nos fuisse electos in Christo, ante creatum mundum, quicumq; eri-
pimur à communi interitu: alios autem b merito perire, ET I-
AMSI IN ADAMO NON FUISSENT PER-
DITI: quoniam DEVS ita prefecit Christum Ecclesie sue
caput, ut in eo seruemur, NON OMNES, sed qui sumus electi.*

^e Damnaturus & reprobaturus erat, absq; hominum culpa.

85. Hic DEVM a causis medijs segregant, & docent
simpliciter eius fuisse voluptatem, homines perdere, & tantam
quidem, ut si stetisset Adamus integer, nihilominus homines
fuissent perituri.

86. Hunc Calvinianum mammarum succum sic expri-
mere atq; sic intelligere oportet, quoties pleno ore *vais aigü*
voc suas *enapü* & spumantes dicunt, hominem condi-
tum esse à DEO, hoc sine duntaxat, ut eum perderet. Lo-
quuntur quidem indefinite, sed cum pauculos electos exci-
pian, non multum abest ab vniuersali, ut etiam hoc iudicium
sit qualem sibi vniuersalem omnium imaginentur creatorem.

87. Progrediamur ultrà, ut liquidius adhuc cognosca-
mus, qualem DEVM, qualemque finem maximæ homi-
num parti constituant.

Notio secunda, qualem statuunt fi- nem hominis.

88. Constituatur iam notio secunda, ubi DEVM de
fine hominis perdendi constituunt consultantem ante crea-
tionem: & consultationi atque subsequuto decreto perdendi,
creationem, ut causam secundam, subiiciunt.

C

89. Nam

In Malac h.
fol. 745.

^a
Et ex opposi-
to reprobatio-
nem quoq;
absolutè, ut
ipsi volunt.

^b
Vocula hæc
præsenti lo-
co, nihil nisi
fucus est.

Homines per-
ituros, tam
meti Adam
nō peccasset.

Beza vol. 1.
fol. 373. de
præd. doct. &
vero usu, fol.
74. 108. 115. 118.
121. Resp. 2 ad
Colloquium
Montis, fol.
147. 148.

Decretum Dei
causam pri-
mam statuūt.

89. Num ad idem principij punctum electionem & reprobationem referunt: & vtrique D E I voluntatem absolutam assignant, ex qua creatio & causæ secundæ mediæ, quæ suam à D E O nactæ sunt ἐπέγχαω (sicuti tradunt) effluxerunt.

In scholijs N.
Testamenti in
Rom. cap. 9.

90. Hinc Beza, quæ à Paulo Rom 9. de massa & καταρτισμῶ dicuntur, ad creationem refert, vbi inquit: Est enim hoc verbum (καταρτισμῶ) ad creationem ipsam referendum: quod ni facias, nulla causa erat, cur ad D E V M ipsum Paulus assurgeret &c. Mox: Sed Apostolum constat, non de salute & exitio, sed de D E I decreto differere hoc loco.

Resp. 2. ad Col.
loq. Montisb.
folio 164.

91. Et alibi dicit: Quid? quòd non dicit Apostolus, hæc vasa esse compacta eis ἀμαρτίας, sed eis ὄργην & ἀπόδειξαν coagmentata, id est, creata & condita: quæ certè est non media vlla causa, per quam auctor est sui exitij ipse homo, sed ultimus illi finis creanti D E O propositus.

92. Satis hoc horrificum, cum propter finem, quem Deo affingunt horrendo scelere, hominem etiam perditionis noxâ eximere conantur, vt eo modo penitus omnis pereundi vis, pereundiq; ratio, in solo resideat Deo.

In Jerem. 18.
v. 7. fol. 146.

93. Quapropter Caluini sunt verba: Deum antequam mundus esset creatus, statuisse de singulis hominibus, quid de singulis fieri vellet, & eorundem formationem in creatione instituisse pro suo arbitrio, vel ad electionem, vel ad reprobationem.

Georg Spind.
Prediger in
der pfalz/im
sehr notwen-
digen bericht.
fol. 447. 448.

94. Hanc præceptoris sui sententiam discipuli Heidelbergenses sic exponunt, vt singulos homines sic inter se, proprietatibus, à conditore inditis, discriminant, sicut animalia suis distincta sunt proprietatibus & differentijs, suasq; in ijs constituunt species.

95. Vnde deliberato Dei consilio arbitrantur factum, vt in bonis & malis hominibus, in ipsa creatione sic discretis, oriretur συμμάθια & ἀντιμάθια in genere humano.

96. Quod

96. Quod sic volunt intelligi: sicut vides animalia quædam carniuora seu rapacia, atq; in his alia alijs rapaciora, quædam verò natura placida, condita: ita etiam *n. d. y.* diuersæ naturæ indita esse singulis hominibus, in ipsa creatione, & inde fieri, vt homines plurimi laniens destinatori, tum lanient, tum lanientur, & demum pereant: atque ita tamen, vt in diuersas distributi proprietates, diuersis casibus, prout ante creationem determinatum erat, & huic determinationi subiecti sunt, suo quisque modo dispereant.

97. Eadem volunt hæc verba Beza, cum inquit: *Cum De prædest. doc. & ver. resp. fol. 108.* finis in omnis sapientis artificis mente præcedat ipsius operis agressionem, vt certissimum sit DEI de genere humano decretum creationem, & ipsius creationis fines omnes, antecessisse: creationem, inquam, vt & corruptionem decretum illud DEI, ordine causarum non antecedere, sed duntaxat executioni decretum præire.

98. Notate hinc bene, quid Beza tradat: 1. Constituit omnium causarum primam decretum. 2. Decreto subijcit fines, ad quos homines diuersimodè conditos esse putat. 3. Creationem subiungit. 4. Corruptionem. 5. Hanc creationem & corruptionem subijcit executioni decreti, vt ostendat, qualicumque calamitate & miserijs conficiantur homines exitio destinatori, ideò fieri, quia DEVS in hunc finem eos condiderit, suumq; in eis eo modo, dum finem suum assequuntur, exequi velit decretum.

99. Vnde constat, quòd pereuntium conditionem ad ipsam referant creationem: eoq; sint animo, vt existiment, DEVM hos nunquam conditurum fuisse, nisi haberet, in quibus suam perdendi expleret voluptatem.

100. Si quis Bezae mentem meliùs explorare velit, sumet *Ibid. fol. 114.* sibi hæc verba: *Sed ordine causarum priusquam illum conderes, de fine cuius causa illum erat conditurus, ac demum de causis*

C 2 ipsas
Nunquam conditurus nisi absolute oblectatus eorū miserando exitu,

^b
Vñ prædesti-
nationis vel
necessitatis
corruptos.

^c
In Adamo fa-
cti reprobi
priusquam ce-
cidissent, & sic
facti, vt cade-
re necesse ha-
berent.

^d
Ecce, in Ad-
amo in hunc
finem cōditi.

^{e, f, g.}
Sputum Cal-
uinianum, &
mendacia
crassa quæ se-
se deuorant,
quibus simpli-
ciores iterum
de mentare
volunt.

^a
Beza vol 1. fo.
60. in scholijs
N. Testam. fol.
364. 193. Resp.
ad colloq.
Montisb. fol.
164. & 203.

In scholijs N.
Testam. Rom.
9. v. 22.

^a
Nullo id vno
quā argumen-
to probare
poteris & vera
ba D. Pauli
nihil minus
habent.

*ipsis medijs, per quas b ipsos erat ad constitutum finem adductus
rus, constanter & immoto proposito statuisse. Ex quo consequitur,
rectè & verè dici c omnes reprobos factos esse in Adamo simul
eodemq; momento, sicut DEVS ab aeterno constituerat non tam
tùm vasa, id est, homines, & sed etiam vasa iræ, id est, homines
e instæ medias causas & in ipsis reprobis hærentes, damnationi
per media quidem & contingenter secutura, decreto DEI autem
P R O R S V S N E C E S S A R I O euenturæ destinatos.*

101. Sufficit hoc ad declarandos furores sectæ huius,
quod dicunt homines ad DEI imaginem in Adamo esse con-
ditos, & ijdem tradunt, ex decreto DEI, cui finis indiuisè
inhæret, homines creatos esse ad turpitudinem & interitum,
atq; eò creationem institutam fuisse, & reliqua media, vt Deus
suum assequeretur finem. Qui plura legere velit, in hunc
pronunciata à doctoribus istis modum, a eadem passim inue-
niet, omnibus in scriptis, in quibus de negotio isto agunt,

102. Maximè autem perspicuum est, cuiusmodi in crea-
tione opificium hominis constituent, cum Beza fœdè depra-
uatum locum. Rom. 9. hoc modo interpretatur: *Videtur Pau-
lus verbo καταργήσεν uti maluisse, ut in similitudine figuli per-
seueraret. Dicitur enim de ijs, qui & οὐδὲν αὐτῶν aliquid operis faci-
ciunt, ut ex partibus totum quippiam componatur. Ac mihi qui-
dem, non aliter loqui videntur, qui vasa iræ dicunt καταργή-
σεν à seipsis, quàm si quis vas aliquod diceret non à figulo, sed
à seipso fingi. Est enim hoc verbum ad creationem ipsam refec-
rendum: quod ni facias nulla causa erat, cur ad DEVM ipsum
Paulus assurgeret: quamuis exitij veras causas minimè negem,
in ipsis b vasis herere iuxta illud, Perditio tua ex te est. Sed
Apostolum constat non de salute & exitio, SED DE DEI
DECRETO DISSERERE HOC LOCO.*

b Sputum Caluinianæ fraudis.
c Hoc iam sputum illud & intertextam fraudem diluit



103. Hic est Calvinianus *καταρτισμός*, qui fit, ut Beza *Scelerum*
dicit, *καὶ οὐδέσιν* quando D E V S in absoluto decreto suo *οὐδέσιν Deo*
non prævidit, quid homo esset factururus, sibiq; vltro pernici-
ciem illaturus, aut sibijsi causas perditionis paraturus, sed *tribuunt.*
cùm D E V S in singulos homines perdendos omnia decre-
to definiuit absoluto, quo gradu, quo tempore, & quo mo-
do, quibus & quantis peccatis, quanta deniq; strage eos per-
dere vellet: & quod in creatione Adami executionem decre-
ti sui, in singulos determinârit, hac vsus *οὐδέσιν*, ut vnicuique
flagitiorum multitudinem, magnitudinem, incrementum &
exitum demum designaret, & clàm vi decreti sui istac omnia
in ipsius ingereret procreationem.

104. Vnde *οὐδέσιν* hæc perditionis hominum, de qua
isti loquuntur, rectè conspicienda proponitur, si homines vi-
deamus, ingenio primum maligno præditos, tum flagitijs in-
dies sese exulcerantes atq; sanie creationis, in qua massa ipso-
rum compacta esse dicitur, proruentes, iam in libidines, iam in
furta, iam in latrocinia, incæstus, parricidia, & summa flagitia,
quibus executio decreti clàm in ipsis actuosa, & hominem ad
finem suum instigans & propellens, *in medullis ipsorum*, ut
Calvinus inquit, ardet, & omnia illa efficit, quæ ex decreto
D E I in homine isto necessariò perfici debent.

105. Atque ex hoc principio rectè & alibi sententiam
sectæ suæ expressit Beza, cùm dicit, non in homine causam
exitij esse quærendam, sed ad D E I assurgendum esse decre-
tum: & hoc etiam loco manifestè dicit, Vasa iræ non *καταρ-
τίζεσθαι* à seipsis, sed verbum hoc ad ipsam creationem refer-
rendum esse.

106. Ipsius itaq; doctrina est, neque hominem neq; dia-
bolum illam scelerum mentisque *οὐδέσιν* in homine effecisse,
neque etiam operi ipsorum id esse imputandum: nihil enim
à seipsis habere, vnde in tantam calamitatem sint ordinati, &
compacti homines, aut principaliter à Diabolo eò compulsi,

C 3 sed

sed DEVM ita eos effinxisse & parasse, ut tales fierent, & vlcera occultæ creationis suæ postea patefacerent.

107. Quòd nihilominus, vbi ista disertè tradit, aliquid de causis hærentibus in ipsis vasis intertextit, consueta sectæ huius fraude facit: siquidem satis constat, quòd vasis nihil omnino, nisi quantum creatio indidit, asseribat, sicut paulò post luculentius explicabitur.

108. Secunda itaq; hæc ratio est, qua probatur, quòd homines isti de tali fine hominis loquantur, qui per Dei opificiũ & ἐμφύτην, in ipsa creatione sit insitus: & simul etiam probatur, quòd contra scripturam, contra pietatem, & contra ipsorum de imagine DEI doctrinam, impiè & flagitiosè loquantur de fine ad quem homo conditus sit.

Notio tertia, qualem statuunt finem hominis.

109. Tertia ratio superioribus addenda est, quæ quidem ex præcedentibus satis illustris esse poterat: Quia verò lucis fugum hoc & Cyclopicum sectæ genus, illis ipsis, quæ fabricauit, spiculis, vbique persequendum est, addimus hanc tertiam, in qua tradunt omnia, quæ in reprobatorum flagitijs & exitu conspiciuntur mala, à mero & nudo, vel absoluto DEI beneplacito & decreto oriri.

110. Vnde etiam maximè constat, quòd hanc sententiam defendant, homines plerosque per se, & absoluto Dei beneplacito, nullaque præuisa in hominum peccatis causa, ad malum duntaxat conditos esse finem.

111. Absolutam voluntatem ijs, quibus ipsimet describunt, appellamus verbis, voluntatem, quæ nihil quàm seipsam solam habet, & sese duntaxat inuetur, à nulla alia externa causa, commota.

112. Atque intelligas absolutam hanc reprobandi voluntatem, leges Beza, vbi ait: *Caluinnum dixisse, in causa reprobationis*

Absoluta voluntas.

Vide Kimerontium de vniuers. eod. dem. fol. 556.

Volunt. i. fol. 219.

bationis semper redeundum esse ad solum diuina voluntatis arbitrium, cuius causa sit in ipso abscondita: atq; addit Beza, ut Calvinum suum defendat: *Voluntas n. DEI* (inquit) *non pendet à rerum qualitate: sed e contrario, rerum^a qualitates* (hæc est *causa* unicuique homini in creatione Adæ, indita, ut supra dixit) *DEI voluntatem ordine causarum subsequuntur.*

^a
Furari, Iatrocinari, heluari, blasphemare &c.

113. Vultis ne aliquid sonantius, ut intelligatis, quæ Calvinistarum sit opinio, de absoluta Dei voluntate? Beza sic inquit: *Itaq; cum ad summam illam causam ascenditur, quæ nihil est superius, minimè dicendum est, hunc potius, quàm illum, siue saluti siue exitio à DEO destinari, quoniam in hoc vel in illo, aut iam extans inueniat, aut futurum prospiciat, quo ad hunc potius quàm illum, salutis vel exitio, destinandum impellatur.*

^a
De prædest. doct. & v. v. fol. 60.

114. Idem ipsum est, quod alibi dicit: *Quòd alios quidem seruare per misericordiam, alios verò à iustè perdere constituerit, nullam aliam causam esse censent, quàm illam DEI voluntatem, cuius altitudo nobis non sit scrutanda, sed adoranda, ne in precipitium ruamus &c. Mox: Hanc sententiam ut verissimam propugno.*

^a
Resp. ad Colloq. Montish. fol. 147.

^a
Sputum Calvinianum.

115. Non omitteremus Calvinum, cuius Tygridis vbera isti suxerunt, sic ille inquit: *Ergo si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita ei placet: neq; etiam in alijs reprobandis aliud habebimus, quàm ipsius voluntatem. Cùm enim dicitur DEVS vel à indurare, vel misericordia proficere, quem voluerit, eò admonentur homines NIL causa querere extra eius voluntatem.*

^a
Instit. lib. 3. cap. 22. §. 11.

^a
Nota bene: quid ei sit indurare.

116. Attexam adhuc Rennecheri Nebulonis & Alastoris in Academia ista, quam auspice & duce Pierio, & adiuuantibus socijs, in abyssum DEI sui demergere voluit: sic ille, *Reprobationis etiam nulla alia causa ex scripturis proferri & assignari potest, quàm à iusta & immota DEI voluntas, quòd ipse in aeterno illo & arcano consilio aliquot homines aeterno exitio*

^a
Aurea salu. cat. fol. 37.

^a Sputum Calvinianum; vide, n. sequentia verba cuiusmodi iusticiam Deo tribuat

b
Hæc est Dei
ipsius iustitia.

c
Hic ille Deus
Calvinianus
Calvinianæ
iustitiæ fons.

d
Hoc verū est.

e
Et hoc verum
est: subuenit
autem Chri-
stus benedi-
ctus maledi-
ctis, & mori-
tur pro iniu-
stis & repro-
bis. Rom. 5.

f
Nimirū opera
omnibus, pro-
pter quæ sic
sunt conditi
& effecti.

g
Spurum Cal-
vinianum, &
de iustitia hæc
infra dicitur.

h
Odium ex se-
se & propter
se, ut Ren-
necheri verba
sonant.

exisio & **b** supplicio, **c** ex sese & propter sese, adiudicaverit, idq̄
antequam ipsi erant & aliquid mali fecerant. Peccatum enim
reprobationis causa **NE QVA QVA M** potest esse, Nam
omnes peccaverunt, & sunt **d** aequè corrupti, & natura filij ira:
itaq̄, omnes **e** ad unum vsq̄, si peccatum reprobationis causa esset,
perissent: peccatum quidem est causa eorum, qua ipsam repro-
bationem: **f** necessario consequuntur, De quibus postea dicitur.
Peccatum licet ab homine admissum sit in ipso meritorum & im-
pulsiva damnationis causa: tamē reprobationis causa **NE QVA-**
QVA M in homine querenda est, sed eius suprema & prima
causa est ipsamet libera & **g** iusta **DEI** voluntas.

II7. Ut multos habeamus sectæ huius symyctas, sic in-
quit Zanchius: Ac proinde etiam non inficiamur, voluntatem
DEI, primam ac veram causam esse, cur nobis ad vitam ater-
nam electis, reliquis **h** oderit, aeternaq̄, morti destinârit, ut in ijs
suam ostenderet iram atq̄, potentiam. De nat. Dei, fol. 690.

II8. Satis mihi est ipsorum verba recitare, ut appareat,
nullam eis in aperiendis tetrīs illorum erroribus vim fieri.
Nam ex his quæ adducta sunt, satis liquet, quod absoluta
DEI voluntate homines ad finem malum duci, & ad finem
malum conditos esse, tradant.

II9. Perspicua enim sunt, quæ dicunt, solum **DEI** ar-
bitrium, solam **DEI** voluntatem, quæ habeat causam in
seipsa absconditam, qualitatibus seu malis actionibus homi-
num longissimè exclusis, cum ex quoque fluere dicantur ex
causa illa occulta, imò exclusis causis omnibus præsentibus
& futuris, quæ in homine esse poterant, voluntatem, inquam,
Dei solam & vnicam ex sese, & propter sese causam esse per-
ditionis: & nullam aliam quærendam esse, nec in homine v-
lo modo, quantumvis sit reprobus & flagitijs demersus, quæ-
rendam aut ibi statuendam esse: **DEVM** enim ex sese &
propter se homines perdere, ut prima & vera causa is solus
perditionis maneat, & sic etiam prædicetur & annuncietur,
nullis

nullis alijs causis perditionis ad Dei voluntatem, quæ sola
ibi regnare vult, in commercium admittit.

120. Aut si de vocabulis etiam alicui dubium sit, legatur
thesaurus (sic inscripserunt) veræ & orthodoxæ fidei, cui
Beza, Ursinus, Zanchius, Hemmingius, & Grynæus sub-
scripsisse leguntur: in quo libro hæc verba leges: *DEVS*
enim hæc absoluta & omnipotentissima voluntate quæcumq; sunt,
vult: & sine absoluta DEI voluntate nihil fit. Et Mox: *Itaq;*
cum arcana DEI voluntas, semper, ut dictum est, fiat: & nulle
ratione impediri possit, cum sit omnipotentissima: idcirco
nullo modo dici potest, DEVM simpliciter & proprie voluisse,
aut velle omnes in uniuersum homines saluos fieri.

Ad ista Hem-
mingus con-
niuet, & con-
niuendo ap-
probat.
Fol. 36.

121. Ibidemque per vocabulum, simpliciter, absolutam
voluntatem sic explicant: *Vult autem (inquiunt) simpliciter*
DEVS quicquid facit, siue eligat, siue reprobet, siue misereatur,
siue induret: siue seruet, siue perdat.

122. Eandem absolutam voluntatem appellant DEI
beneplacitum, quo DEVS in sese & ex sese, ut verba
Rennecheri habent, sui causa, suaque gloriæ causa, cum ta-
lis in sese sit, oblectari hac voluntate sua, à Calvinianis iudi-
catur.

123. Sic exponit in corrupta Palatina Ecclesia Geor-
gius Spindlerus. Et Grynæus cum socijs in libro commemo-
rato, inquit: *Etsi, quoscunq; à communitone salutis reprobauit*
DEVS, non propter futura mala illorum opera, sed secundum
suum Beneplacitum. Et Zanchius inquit: *Causam hic nullam*
aliam dicimus, quàm MERVM DEI beneplacitum.

Im sehr not-
wendigen be-
richt. fol. 93.
& 156.
De natura
DEI. fol. 674.

124. Hoc absolutum DEI BENEPLACITVM
statuunt, DEI mirabilem voluptatem, & incomprehensibile
desiderium ad deuorandos, atque perdendos homines:
cuius nulla Panthera, nulla rapacissima & furiosissima bestia
etiam cestro percita, satis possit exprimere naturam & inge-
nium.

D

125. Hæc

125. ^{sup} Hæc itaq; est illorum sententia, de causa primâ,
ex qua reprobationis originem ducunt. Absolutam hîc con-
stituant DEI voluntatem, quæ in futura hominum opera
mala non prospexerit, sed sui propositi & reconditæ volupta-
tis causa, quæ in voluntate Dei nullam habuerit *αὐτὴν αἰτίαν*
αὐτὴν, homines ad lamentabilem adducit exitium. Cuius vo-
luntatis vi existimant fieri, vt homo mala opera, quibus exiti-
um sibi consciscit, necessario, inuitabiliter, & summo DEI
beneplacito, designet.

126. Et ne quis adhuc suspicari queat illos reprobationis
causam fortasse in incredulitate, id est, in illa causa, qua ho-
mo oblatum salutis beneficium repellit, constituere, manife-
stum est, illos hic quoque omnem incredulitatem longissimè

Thefib. Theol. excludere. Sic enim Beza Theologicis suis Theſibus instituit
autoribus Beza scholam Geneuensem; Deinde (inquit) *2a & Fajjo* quamuis hanc infide-
fol. 25. *lium ἀπιστίαν atq; peruicaciam ex numero caussarum reprobatio-*
nis excludamus, non tamen ex illius effectis excludimus, quorum

N B. *medio DEVS hoc suum decretum in damnandis exequi vo-*
luit, atq; nunc prout voluit exequitur; sed è contrario obstina-
tam illam impietatem atq; malitiam reprobationis consilio sub-
ordinamus, quemadmodum & eorundem indurationem, quam
DEI derelictio non quidem tempore, sed ordine tantum ante-
greditur.

Nota, malitia
effectus repro-
bationis, Deo
autore homi-
nis us infra,

127. Tam itaque abest vt incredulitatem causam re-
probationis esse velint, vt hanc tanquam effectum seu vt alie-
bi dixit, *αὐτὴν αἰτίαν & ἀποπροσώδον*, id est, effectum & executio-
nem reprobationis, illamque in massa reprobationis effictio-
nem manu DEI sic misero homini insculptam, constitu-
ant.

128. Quod omnino ita accipies, nolunt vllam esse causam
in homine, quod DEVS destinatis ad interitum, gra-
tiam & benevolentiam suam deneget, non enim ideò fieri,
quasi homo, DEI gratiæ & benevolentiae per ingratus
dine

dinem & contemptum sese opponat, atque sese iræ DEI
obnoxium faciat: sed ita DEO esse visum & complacitum,
ut hos homines odio vaticano prosequatur & enecet, & si
maximè sint increduli & obstinati, à DEO tamen in illa
σωθείς ita esse effectos, formatos & hoc sulphure reprobationis
oculto esse conceptos, ut sese etiam DEO opponant,
& ista incredulitate & peruicacia, decreti executionem ad
uersus seipsum accendant.

129. Satis hæc quidem erant, ad ostendendum quomodo
simpliciter & districtè omnem causam *πεκατηρητέον*
à decreto & voluntate Dei qua homines perdere statuit,
excludant: neque habent ut calumniari queant, ipsis vel tantillum
iniuriæ fieri. Verùm hoc est artis iam illorum, sicut
ex omnibus scriptis liquet, ut discrimen faciant inter reprobationem
& damnationem, insigniter hinc *καπιλεύοντες τὸν λόγον τῆς θεῆς*,
ut suas ibi insidias condere queant. Quapropter necesse est,
ut simplicioribus, hac quoque in parte succurratur.

Figmentum
discriminis
inter reprobationem &
damnationem.

130. Reprobationi omnes alias causas præcidunt, & in
DEO solo ipsiusque beneplacito recumbere materiam uniuersæ
causæ, tradunt. Damnationis autem causas multis variisque
sibi que dissentientibus strophis comminiscuntur, & passim
inferunt, ut hac ratione aduersus tremenda principia sua
mirifico furo simpliciorum oculos præstringant: videri enim
volunt posito hoc discrimine se mitigare iterum suas in
DEVM nomenque eius sacrosanctum, blasphemiarum procellas.

131. Sistamus itaque illis nos in faciem: quærimus qua
scripturæ mica hoc discrimen facere queant, ut reprobationis
nullam, condemnationis autem multiplicem constituent
causam?

D. 1. Eo ipso,

132. Eo ipso, quod reprobationi nullam nisi æternam & absolutam DE I voluntatem constituunt, in hunc finem homines condentis, suprâ dictum est, quòd omni veritati, pietati & religioni Christianæ, verbo denique DE I contradicant.

133. Nos enim nullum agnoscimus DEVM, quàm hunc, qui causas reprobationis in reprobis horumq; factis nobis demonstrat & patefacit: quæ reprobatio eadem est cum condemnatione & maledictione.

134. Et nullum alium agnoscimus DEVM, nisi Deum *φιλάνθρωπον*, qui singulari amore totum genus humanum condidit, eiq; postquam vniversum in Adamo reprobatum, maledictum & condemnatum erat, propter peccata, quibus DEVM aduersus se prouocarat, iam sese vniverso iterum ad omnem gratiam vtrò addixit: & qui ubi puniendum est, punit atque reprobat, non ex *μισανθρωπία* aliqua arcana, sed ex illo insigni mœrore, quod homo gratiam vtrò & vero dilectionis, quippe divino & integro, affectu oblatam, à se reijciat.

135. Adversarij novum, atrox, & ex cadaueroso mendacijs corde suo, axioma de absoluta reprobatione fingunt & construunt, vbi omnem opinionum suarum Chymæram superædificant: cui vt alienæ à scriptura & omni veritate resistimus, & vniversum illud figmentum à blasphemis excogitatum Calvinistis, simpliciter execramur & repudiamus.

136. Auditis enim vos Calvinistæ, vos horridi Blasphematores, Neminem omnium hominum: atque num auditis tandem? neminem omnium hominum ad reprobationem, ad reprobationem, inquam, esse conditum, confitemur.

137. Neque discriminis vestri commentum prius probabit, nisi hoc, quod de reprobatione dicitis, quæ nullam causam, nisi DE I absolutam voluntatem habeat, prius inconcussis scripturæ testimonijs stabilueritis.

138. O M-

138. **OMNES. OMNES.** in Adamo conditi sunt homines ad imaginem DEI: DEVS non est reprobatio, neque condit aliquid in finem per se, ut reprobetur. Aut unum DEVS in homine aliquid condidit, ut seipsum posset reprobare? num ad mortem condidit, ut ipse etiam mori posset? Dicite verò? quænam hæc imago DEI, si ad reprobationem homo conditus sit? Quem facitis DEVM, vos furiosi Ecclesiæ Christianæ vastatores? Quicquid hîc in reprobatione absoluta de homine diceris, id quoq; DEO ipsi, ad cuius imaginem scimus omnes homines conditos esse, commune erit. Dicitis itaque DEVM in sese etiam sui reprobationem continere, quod nihil est aliud, quàm suæ divinitatis destructionem in DEO esse.

139. Recensebo scelera quædam verborum vestrorum, quæ non aliter, quàm ipsius Diaboli in DEVM spicula & tormenta execramur: ut cum dicitis, homines in Adamo à DEO creatore, creatore inquam, Adami, conditos esse ad reprobationem, quod supra prolixè auditum est: a cum dicitis, DEVM creare reprobos, ut sint vasa iræ: cum dicitis, DEVM creare certos, ut perdantur: b cum dicitis, DEVM creare homines ad mortem: c cum dicitis, DEVM creare homines in vitæ contumeliam & mortis exitium: d cum dicitis, DEVM creare homines non ad vsus honestos, sed ad dedecus, ad peccata, ad vsus malos, itemque ad interitum: e cum dicitis, DEVM condidisse homines ad indurationem: f DEVM condidisse homines ad sempiternam ignominiam: (ECCE, IMAGO DEI) g cum dicitis, homines absoluta voluntate conditos à DEO, aliquos sic, ut à natiuitate statim pereant, aliquos sic, ut pereant Euangelio nunquam prædicato, aliquos sic, ut historicè tantum recipiant, aliquos sic, ut prædicato quidem, sed non efficaciter prædicato pereant, aliquos denique ad Apostasiam esse conditos, atque ut hi omnes diuersis absoluta DEI voluntate

Procellæ blasphemiarum Calvinianarum.

Thef. ver. & ortho. fid. fol. 43. 94.

b) Ibidem 45.

c) Calui. Inst. lib. 3. cap. 24.

§. 12. Item Beza Rom. 9. vol. 1. fol. 360.

d Zanch. de natura Dei, fol. 669. 670. 671. 690.

e Beza Rom. 9.

f Renn. aur. sal. cat. fol. 125.

g Bez. vol. 1. fol. 190. 191. 192.

D 3



^a **luntate pereant gradibus:** ^a cum dicitis Deum condidisse ho-
mines, vt Christus ipsis sit offendiculo, ipsis sit ad contumaciā
& ad iram: ^b cum dicitis, Deum condidisse hominem ad hanc
calamitatē, cui subiaceret: ^c Deniq; cum dicitis, Deū non omnes
homines ad salutem, sed alios ad condemnationē condidisse.

^c 140. Hæc & similia turpia, fœda, scelerata, putida, ve-
stra excrementa, quibus creationem ipsam & imaginem Dei
imo Deum ipsum in homine, finemque ad quem homo con-
ditus est, conspurcare & conscelerare audetis, sunt quidem
axiomata, & testimonia vestræ à Deo viuo Apostasiæ, quibus
horribiliter mugitis, reprobationem eo modo in absoluta
DEI voluntate consistere: sed non eius hæc inter nos erunt
autoritatis, præsertim vobis autoribus, vt simpliciter illis ac-
quiescere possimus. Probanda sunt vobis hæc: Probate, in-
quam istæc, vos obscœni Calvinistæ.

141. Iam, quod de condemnatione dicitis, atq; huic caus-
sas in homine inhærentes attributis, facile in sua manifestatur
fraude.

142. Primò .n. quoties causas commemoratis (vt assiduè
soletis quoties mendacia & blasphemias vestras resorbetis,) in
hominis voluntate aut hominis corruptione positas, iniuriam
magnā tum vestræ profanæ religioni, tū hominib. ipsis facitis.

143. Vestra siquidem religione, exitium hominis non in
homine, aut causa aliqua in homine posita, sed aliū in
DEO ipso quærendum esse, docetis: ideoque hoc posteris
us proprijs strophis evertitis.

144. Deinde, cum iam hominem respectu condemna-
tionis noxâ exitij sui implicatis, agendum, quid homo in se habe-
ret, cuius causa sibi culpam noxamue verè & iustè accersere
posset? cum DEVS eum sic (vt dicere soletis) condiderit,
sic creârit, & hunc ei apparârit *καταρτισμόν*, vt talis esset, qua-
lis est. Quicquid enim ex *καταρτισμῶ* illo suo facit id ipsum
est, ad quod ut à vobis dicitur, sic compositus in prima massa,
& ad

& ad illum finem sic effectus est, ut nihil aliud facere possit, sicut canis à natura sua nihil aliud habet, quàm ut latrare, & sus ut grunnire possit. Quid fatigatis miserum & infontem hominem accusatione scelerum suorum? à quibus non plus vi suæ creationis (iuxta doctrinam vestram) abstinere potest, quàm canis à latratu, aut sus à grunnitu & volutabro sterco-
ris & cœni sui.

145. Sed ut fraus vestra magis conspiciatur, hoc quoque traditur à vobis, non modò hominem reprobum sic esse conditum, ut faciat hæc, quæ facit, sed etiam DEO ipsi omnem illam in solidum ascribitis vim, quæ in reprobis sese exerit, ad patrandum scelera & ruendum in interitum: atque hîc quar-
tam ratioem collocamus, ut demonstramus vos asserere hominem mero DEI beneplacito perire, & in hunc finem per se & propriè factum esse, & perditionis causam in homine veram nullam esse, sed totam in DEI beneplacito, & efficacissimo quidem consistere.

*Notio quarta, qualem statuam si-
nem hominis.*

146. Age verò quomodo homini attribuetis vllam causam noxæ? DEVS enim statuitur à vobis duplici ratione, causa efficiens, 1. propter finem ad quem hominem instituit, de quo hætenus dictum est, 2. propter efficacem vim quæ à DEO in hominem periturum vestra sententia suffunditur, ut ita ad exitium præcipitetur, DEO trahente & impellente.

147. Ad finem hominis perituri, & media, ut perire possit, atque necesse habeat, de quibus aliqua iam ex placitis vestris diximus suprâ, hæc iam addenda sunt, quòd traditis, Deum ut homo perire posset, causas ordinasse medias, & ad pereundum accommodatas, atq; instructas, eo itemque sine paratas, ut hominem in exitium raperent, & ut suum habeant ad finem destinatum, impetum & *ὀρεῖσθαι* à Deo moueri vi sua omnipotenti.

Sic

Volum 1, fol. 148.

416.

Sputum Calu-
uinianum.

b
Differt hæc
Dei Caluina-
na iustitia à
Diaboli iusti-
tia tantum in
hoc, quod hæc
reuelata, illa
verò occulta
est.

Sic enim Beza loquitur: *Destinavit enim DEVS exitio, sed iusto: ideoque quamvis non propter corruptionem & corruptionis fructus destinat exitio, sed quia sic illi visum est, cuius voluntas, quanquam occulta, semper tamen est iusta: ta- men non nisi propter corruptionem & corruptionis fructus DAMNAT, quoniam has causas executioni aeterni sui propositi substravit. Mox: c Quod subijcis, DEVM non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis predestinasse quoscumque, libuerit, verum esse agnoscimus. Mox: d Ad exitium ferentes causas, eodem decreto subordinavit.*

c) Ibid. 417. 149.

d) Ibidem.
Resp. 2. ad
Collo. Mont.
fol. 204.

e Mentitur in
Salomonem.
f Propter op-
positam mise-
ricordiam de-
bebat appel-
lare immise-
ricordiam, ty-
rannidem, &c
sed vitat. Ty-
rannis enim
nihil est ali-
ud, quam vis
superior effe-
ctiua perdendi
absq; iustitia

Alibi idem dicit: *Cum autem voluntatis DEI ap- pellatione, illam providentia DEI partem intelligimus, qua res omnes humanas ipsosq; adeò homines singulos, causis omnibus secundis & earundem motibus & effectis, huic suæ voluntati exequende subordinatis, ad ultimum illum finem, id est, ad glori- am suam, & Salomone teste, alios quidem per misericordiam, alios per iudicij viam adducit: illam solemus occultam & at- canam vocare.* Ibid. fol. 209.

Aurea salu-
cat. fol. 37.

150. Hoc suo funtamento posito, rectè potest hac fa- tisfere blasphemia, cum dicit: *Falsissimum & absurdissimum esse commentum, hominem propter Evangelij obtatam gratiam contemptam vel incredulitate repudiatam, & non propter aliam sit unquam damnatus, ut non aliud, quam suam ipsius impietas tem accusare quisquam debeat. Sicut Rennecherus etiam dicit: Reprobationis causam NEQUA, QUAM in homine qua- rendam esse, sed DEI voluntatem eius primam & supremam causam esse.*

Ibid. fol. 161.

151. Hic utique manifestissimè hominem culpâ absol- uunt, & hanc plenis buccis in DEVM autorem cuius rei re- jiciunt.
152. Quòd enim homo facit, nequaquam sua spontè facere, ab his perhibetur: sed ideo, quòd causa est necessa-



riò substrata ipsi DEI decreto, per & propter quod decretum illud fit, quod DEV S, ut fieret, decrevit.

153. Omnium autem expressissimè suam manifestant sententiam, qua homines noxa pereundi eximunt, & DEO uniuersum perditionis institutum transcribunt, cum DEVM opifici & simul extimæ rotæ in Horologio assimilant, homines autem omnes rotis comparant internis, sic fabricatis atque instructis, ut ab extima rota impulsæ, per sua trahantur momenta, & id singulæ præstent temporis successu & motu, ad quod sunt ab opifice inuentæ & extimæ rotæ, subordinatæ. Sic enim homines iudicant esse factos à DEO singulos, ut singulis momentis, qui perire debent, à tractu illo externo & horologico motum suum habeant, ad finem ad quem sunt conditi, donec illa hora tremenda & singulis expauescenda momentis adsit, in qua in imum sunt expuendi tartarum. De quo illorum horologio in alia disputatione prolixius dicitur,

Brza vol. 1.
fol. 692.

Horologium
Gehennæ.

154. Satis iam ex his constat, miseros & deplorandæ conditionis constitui ab his homines, qui miseriarum incrementis tanquam ordine & serie à DEO in ipsos distributa, & in ceruicibus ipsorum ineluctabili compacta decreto, huc illuc per peccatorum vices & præfixum finem aguntur: ut iam qui doctrinam hanc inuenerunt, putidissimi mendacij conuinci queant, si porro causam damnationis in homine hæere dicant, & non potius eam ad talem opificem hominis, qui ad hunc peccandi modum, quo necessariò periturus implicatus est, simpliciter ex principijs doctrinæ ipsorum, referre sistant.

155. Aut enim illa omnia quæ de fine pereundi, & absoluta voluntate, ipsoque DEI *κατασκευασῶν* vel compactione ad interitum, ipsoque impiorum ad Gehennam cursu, vi horologii, cui sunt innexi, tradunt, iam porro debebunt: aut si istac defendere adhuc velint, evadere non possunt, quin ut

E repre

reprobationis, ita etiam damnationis uniceam DE I voluntatem constituent, homine penitus exempto à causa suæ perditionis: atque falsum erit, quòd in causis secundis, aut homine causam condemnationis (semper obluantibus ipsorum principijs) demonstrare possint: Et merum per consequens fit ludibrium, quod de discrimine reprobationis & condemnationis garrunt.

DEI Divinam ad
peccandum
attinere debent.

156. Satis, ut opinor, hac declaratione sunt convicti: verum ut furores ipsorum magis adhuc patefiant, addendum etiam hoc est: non tantum fabricam perditionis & condemnationis in DEO ab illis constitui, sed etiam hoc superaddi, motum & tractum in ipsis organis (quæ à DEO ad peccandum ordinata, fabricata, & singulari DEI industria eò compacta esse tradunt) à DEO solo originem suam habere. Adeò ut totum perditionis opus, in solidum in solum DEVM reijciendum esse censeant.

157. Unde iterum etiam concluditur, quòd causas condemnationis in homine nullas demonstrare queant: atq; de novo horum patet ludibrium, ubi reprobationi, præter voluntatem DEI, omnes alias abscindunt causas, damnationis verò causas in hominem transferunt. Utrobique enim (ut liquet, fraude illorum resecta) DEVM talem faciunt, qui ex sese & propter sese, ex beneplacito suo, ex vi naturæ suæ, ex eo quantum & qualis est, homines reprobet & damnet, atque faciat, ut reprobari & damnari queant, atque eo fine, ut gloriæ suæ quæ consistit horum opinione, in voluptate scelerum & mortis hominum, satis facere possit.

Georg Spinn
deleer im sehr
notwendigen
Bericht.
fol. 139. 145.
151. 158. 189.
91. 424. 425.

158. Actionem itaq; quomodo DEO ascribant in instrumentis, quæ ad pereundi finem fabricasse dicitur, hinc constat, cum DEO, quoties de motu ad peccandum loquuntur assignant, id quod Paulus 7. Cor. 12. dicit, DEVS operatur omnia in omnibus. Et Grynæus cum socijs *illud ieremyã* sic explicat.

explicat & operationi DEI sic attribuit, vt dicat, **HABERE DEVM VIM ACTVOSAM ET EFFECTIVAM IN OMNIBVS**, & uniuersalem particulam esse, *Thes. ver. orib. fidei* **qua nulla prorsus quantulacumq; exceptione restringi possit.** *fol. 57.*

159. Zanchius, vt solet, hæc scdæ suæ mysteria manifestissimè prodit, cum inquit; *Inueni in Psalmo 50. Inueni in 1a Theolog. fol. 142.* **Dimisit eos in desideria cordis sui, sed talis permissio DEI non est inuoluntaria, quia nihil inuito DEO fit, nec sine ulla prorsus actione DEI: quia DEVS operatur omnia in omnibus; VULT ERGO ET FACIT, VT IN SVIS DESIDERIIS IMPII VIVANT.**

160. Iste Zanchius eadem, alijs etiam verbis profert, & simpliciter vult, actionem malam in homine, solius DEI siue mediatè siue immediatè agentis, opus esse, indignaturus, si hoc vel Diabolo, vel homini quisquam ascribere velit.

161. Sic enim inquit: *Ibid. fol. 146.* **Dubitandum igitur non est DEVM quosdam (id est reprobos & in primis contemptores) excacare, indurare & in desideria cordis & praua flagitia tradere, idq; non tantum permittendo (qua permissio semper est voluntaria) nec tantum gratiam subtrahendo, nec tantum externa offendicula in qua impingant reprobis obijciendo: sed etiam INTERNA QVADAM PARTICVLARI, sed ineffabili ACTIONE: eaq; vel IMMEDIATE PER SE, vel mediatè per ministerium Satane eos in cecitatem, obdurationem & praua desideria impellendo.**

*Nota bene
quas species
remoueat, &
quam ponat.*

162. Vides itaq; quomodo omnis actio in instrumentis soli ascribatur DEO? cui interna & particularis attribuitur actio, & quod superat omne omnium blasphemiarum fastigium, quod DEVS dicitur impellere per se etiam immediatè homines in peccata. Atque sic Diabolo suum abrogant officium, & in Deum transferunt.

163. Caluinus his discipulis suis *ουνορθοϋσιν* quidem impiæ huius doctrinæ delineauit, in scriptis suis, verum vsus

interim fraudulentiss. hoc artificio, ut quæ aliquoties dila-
ricatis eructavit faucibus, vocabulis tortuosis & æquiuocis
rum statim inuolueret & retraheret, non ignarus, ut opinor,
discipulos haustis his doctrinæ suæ seminibus, audaciores futu-
turos.

In Genes. cap. 164. Sic tamen inquit: a *QVARE NISI DEVM*
41. vers. 17. *VELIMVS E SOLIO SVO DEICERE*, non minus
Deum negant suam illi in agendo potentiam (loquitur ibi de malis operibus)
regitare am- quam præscientiam relinquere oportet. Mox: Quasi verò nu-
plius posse, quam præscientiam dicamus rerum causam esse, ac non potius
nisi per se ho- dam præscientiam teneamus à Mose positam, que futura sunt DEVM
mines impel- hanc copulam teneamus à Mose positam, que futura sunt DEVM
pellat ad pecc- præscire, quoniam ea facere decreuit. Ipsi verò inscitè & perpe-
catum, ram ab æterno DEI consilio & CONTINVA ACTIONE
ipsius providentiam diuellunt.

165. Beza hanc actionem seu motum in ipsis instrumen-
Vol. 1, fol. 372. tis, ut cætera omnia, pleniùs exposuit: Sic enim inquit: *DEVS*
exequitur consilia suæ voluntatis per causas secundas & me-
dia instrumenta, non tanquam illis deuinctus, ut Stoici existima-
bant, sed liberè & potenter illa fabricans, mouens ac dirigens,
quod libuit. Mox: hæc eadem etsi causæ sunt quatenus interiore
& suo motu agunt, tamen alio respectu dicuntur a instrumenta,
Omnes im- quories videlicet & quatenus ab illo aguntur. Mox: Sic autem
probi causæ instrumenta, agit per illa instrumenta (mala) ut non tantum sinat illa agere,
les, *DEVS* nec tantum moderetur euentum, sed *ETIAM EXCITET,*
verò *IMPPELLAT, MOVEAT, REGAT,* atq; adeo, quod
n. omnium est maximum *ETIAM CREET, VT PER*
bid. 373. *ILLA AGAT QVOD CONSTITVIT.* Ibidem:
Iam agitur ista ad *DEVM* ipsum accommodemus, cuius effica-
citatem ante probauimus *IN OMNIBVS* quæ sunt, inter-
uenire *SINE VLLA EXCEPTIONE.*

166. Hæc sunt manifesta, quibus tradunt, omnem vim
in instrumentis malis à solo dependere *DEO*, ipsiusq; actu
& ineuitabili impulsione, tanquam ἐπιλεχία omnipotente,
instrumentis

instrumenta ad scelerum mortisque perpetrationem à DEO ipso vegeta, & ut ita dicam, viuacia reddi. Meræ itaque sunt scycophantiæ, quoties homini ascribunt verbo tenus scelera scelerumque progressum, quæ re ipsa in ipsis fundamentis, in Deum solum referunt.

167. Quod ab illis hac astutia fit, ut eo minus intelligatur, eos Diabolum ipsum pro DEO colere.

168. Cuiusmodi etiam artificio alibi usus est Beza, cum motum ad exitium, eo, quo in horologio suo depinxerat modo, describit, atque interim hominem verbo tenus noxam inuoluerere vult.

169. Sic enim inquit: *Quos idcirco creauit, ut in ipsorum iusta condemnatione glorificetur.* Ibidem: *Cum enim Dominus eis causis adductus, quas ipse solus novit, proposuisset, eos in hunc finem creare, ut in ipsis iram & potentiam suam ostenderet,* *SIMVL EAS CAVSAS GRADATIM* (hi sunt dentes ceu incisuræ in horologio Bezano) *ORDINAVIT, quibus fieret, ut tota ipsorum exitij culpa in ipsis hæreret.*

Vol. 1. fol. 190.

^a
Sputum Cal-
uinianum.

170. Hic extricanda sunt quædam. 1. enim dicit, creatos esse reprobos, ut condemnatione illorum DEVS glorificetur. 2. causas in secretis ipsius consistere, ignoratas toti mundo. 3. hanc esse glorificationem eius, ostendere iram & potentiam suam. 4. gradus condemnationis esse ordinaros, quibus nimirum de scelere in scelus, de exitio in exitium homines irahantur. 5. ordinasse DEVM ut tota hæc exitij culpa in homine hæreret, sic nimirum ab ipso, sculpto, formato, fabricato & composito, in quem DEVS id, quod iræ ipsius est, & nullam præter voluntatem ipsius causam haberet, transfunderet, atque vi & ordinatione sua hominem per gradus peccatorum reum faceret. 6. Hæc opera appellat DEI iustitiam: quod obseruare oportet, quoties sputum seu ludibrium suum de iustitia DEI, sæuis in DEVM convicijs intermiscant, ne quis existimet eos aliquid serio de iustitia effa-

E iij ri. iam

ri. Iam enim tandem constat, qualem DEO ascribant iustitiam.

Vol. 1. fol. 341.

171. Atque alibi idem vult, idemque tradit, ubi gradationem hanc, qua homo reprobus ad *ἀνύπευ* scelerum vi DEI attollitur, appellat contextum caussarum, quem etiam Philosophi agnouerint, & ordinem inquit esse *ὀπίσθηλον*, id est, ordinem, sicut in rotis incisa omnia sunt, & distributa puncta, quae se mutuo excipiunt, donec hora deuolutionis in tartarum, praesto est.

Aur. sal. cat. fol. 41.

Das ist / es köndte niemand des Teuffels werden wenn Gott die Menschen nicht dahin triebe.

Ibid. fol. 29.

172. Rennecherus horum quoque e numero fuit, qui patefactis mysterijs Calvinismi Ecclesiam & praesertim adiuantibus locijs Vitenbergicam ablorbere voluit. Hic inquit *DEVS enim ille est, cuius virtute & agitatione omnia sunt in omnibus: idq; usq; adeo, VT SINE ILLA DEI VIRTVTE ET ACTIONE neq; boni bona facere a NEQVE MALI MALA ADMITTERE QVEANT.*

173. Nec non motum hunc & vim praecipitandi homines in peccata & interitum a prima sic deduxit origine, vt dicat: *PRIMUM HOMINEM suam voluntatem eo quod singula a DEO moueantur & sine eo nullus motus existat, IN MALAM PER SE SINE DEI MOTV INTERVENIENTE TRANSMVTARE NON POTVISSE.*

174. Tales erant rictus Calvinianorum, & haec fauces, quibus Academiam & Ecclesiam hanc abyssu DEI sui deglutire voluerunt, & haec fuit causa, quod Pierius homo malitiosissimus hunc librum, cum ipso pestilentiore iuuenire non posset, iuenturi tantopere commendauit.

175. Notate itaque, quod sine actione Dei, horum opinione nulla possent patrari mala, & quod sine motu Dei non potuisset Adamus, nec potuissent homines in Adamo perire.

176. Notate, nullum fore latronem, nullum furem, nullum veneficum, nulla futura scelera, nisi DEVS esset causa *ἐνεργουσα*, & eo homines compellens.

177. Quan-

177. Quanta itaque (si hoc verum esset) iustitia vigeret & æquitas, quanta pax, quanta honestas in mundo, si Deus (ô horrendum) nullus esset, & si is honestatis non obtereret & tolleret leges?

178. Occurrendum autem adhuc est quibusdam fraudulenti sectæ huius effugiis. Et primo, quanquam satis omnia sint manifesta de arduosa & *ἐνεργητικῆν* vi DEI in reprobis, quam in solidum à Deo oriri tradunt: sunt tamen, qui istas blasphemias pro Calvinistis, quibus sese furtivè duntaxat adiungunt, regant, atque sic interpretentur, DEVM omnes suas creaturas movere, vi conservationis naturarum: atq; sic volunt spicula Calvinistarum in DEVM, in vaginam recondere, ne in oculis Ecclesiæ semper corusca fulgerent.

179. Verùm omnia ex scriptis illorum allegata sic sunt perspicua, quòd tradunt à Deo consilium, causas, motumque in causis ad peccandum destinata atque ordinata esse, vt isti clancularij patroni Calvinistarum, frustra isto defungantur nouo decipiendi labore. Legantur enim verba Calvinistarum, quæ nec mea nec alterius cuiusquam explicatione egent.

180. Imo vt videant isti, se apud Calvinistarum Magistros nullam patrocinio isto promereri gratiam, Bezam suum loquentem audiant, qui dicit: *Certe, si quod diximus de DEO, ut PRIMA CAUSA instrumenta MALA mouente, non loquatur aliter intelligatur, quàm de illa vi diuina, qua natura ordo in rebus omnibus creatis conseruatur & rerum voluntate præditarum voluntates cientur, transeundum erit in Peripateticorum castra, qui vniuersalem tantum prouidentiam agnoscunt. Itaque fatendum est omnino, cum ne passeruli quidem cadant sine voluntate conditoris, & ipse sortium exitus, teste Salomone sit à DEO, voluntates illis etiam malas, non tantum vniuersaliter: SED EXPRESSE, CERTO ET FIXO DIVINITVS MOMENTO (nota iterum incisuras per puncta atq; dimensiones in horologio Bezano) AD HOC VEL ILLUD*

Actione DEO ad peccata & non tantum ad conseruationem naturarum attribuant.

resp. 2. ad col. Montub. fol. 179.

Et verè Peripateticorum, præsertim sicut ipse, qui inficiando & affirmando semper solens.

^a
ἐνεργουμένων
sicut locum
citare solent.
1. Cor. 12.

^b
Legat & quæ
rar ibi lector,
ego nihil in
ueni, nisi pu-
tata axioma: 181,
ta, quæ ex tri-
pode sua effa-
tus est.

De voluntatis
coactione, ob-
iectio.

Georg Spinoza
deleat in sehs
nott. Bericht
fol. 440. 441.
442.

*ILLUD AGENDVM AGI, HOC autem non aliter
posse fieri, quam DEI voluntate & decreto, & quidem potente
& a efficaci b multis antea rationibus & autoritatibus probauimus.*

Constat itaque, quod actionem in malis ad mala, non referant ad naturarum conseruationem, sed ad ipsum motum, cum homo ad peccata inclinatur, quod virtute, consilio & beneplacito DEI, fieri tradunt,

Obijcitur etiam hoc, non cogi voluntates hominum a DEO ad scelera, sed corruptas & pronas ad omnia mala vltro se patulas & obsequentes præbere: verum hoc quoq; effugium nihil est, sicut enim in ἀσπμάτω rotæ tractæ ponderis aut vi aliqua vltro videntur facere, ad quod labefactæ sunt, vnde ἀσπμάτω etiam nomen sunt sortitæ: cum tamen vbi vis externa mouens ac trahens non accederet, ab omni motu suspensæ, quiescerent, ideoque potius coactæ, quam spontaneæ appellari possunt: Ita etiam voluntates reproborum horum sententiâ fabricatæ & sic instructæ, vt hoc necesse habeant velle, quod dicuntur velle: eamque ob causam tantum voluntatis nomen habeant, quia DEVS fabricauit eas, vt hoc ipsum velint, quod volunt, id est, vt etiam cum voluptate propriaque laceratione viscerum suorum, perire velint: ideo, si earum a DEO sic effictam & fabrefactam naturam & insuper motum seu tractum, qui intrinsecus omni motu tempore a solo DEO, tum mediata (ut aiunt) tum immediate dependet, consideremus, merito voluntates coactæ potius, quam spontaneæ appellari possunt,

182. Quamdiu enim DEI voluntas absoluta, necessitas absoluta & fixum decretum DEI hos perdendi, & per medias causas ad interitum tradendi, & finis ad quem horum voluntas absolute condita dicitur, ab aduersarijs statuitur: tam diu etiam inconcussum manet, quod stauant voluntates malorum in seipsis, si creationem & effictionem DEI consideremus, esse Voluntas, hoc est, nihil tale appetituras fuisse

ad sui



ad sui exitium, nisi **DEVS** ad tales ordinasset appetitus, & tum demum fieri Voluntates, quando **DEVS** motu suo exequitur id, quod in ipsorum ortu, cui finis eorum innexus erat, in eis effinxerat & fabricarat.

183. Legantur, quæ Calvinus ab initio scripsit, quæ nunc Inst. lib. 5. ab istis expoliuntur, & amplificantiur. Sic ille docet: Consilio cap. 23. §. 6. *nutuq; DEI ITA à DEO ordinatum esse, ut inter homines nascantur ab utero CERTAE morti deuoti: vnde dicit, MORTEM diuinæ magis voluntatis quàm prescientiæ esse actionem. Omnia enim ordinatione & nutu DE Leuenire.*

^a Scilicet, sicut in horologio certis dimensionibus & operum numero distribuitur.

184. Vbi sanè vult magis voluntatis diuinæ opus fuisse, ut homo suis sese ad exitium traheret actionibus, quàm humana voluntatis, quam sic ordinatam existimat ab opifice suo, ut sic velit, & sic cogatur, velle perire, sicut iam vult, & eò sese agilem atque pronam experitur.

185. Obijcitur & hoc, quòd Beza & socij aliqueties ista negent, quæ in illis accusamus. Exempli gratia, vbi Beza dicit: *Nec enim vnquam diximus aut dicimus, ita CRUDE & simpliciter, ut hic scribitur, aliquos ad eternam condemnationem creatos & ordinatos: sed addimus huius decreti non quidem discernendi, sed exequendi causam in ipsis hominibus harentem.*

Obicatio de iustificatione facti. Resp. 2. ad Colloq. Monteb. fol. 105.

Sic etiam alibi dicit: *Probauimus nos ita LOQVI NON SOLE RE, ut quenquam à DEO simpliciter conditum dicamus ad perditionem, sed idcirco ut ipsius*

Vol. 1. fol. 346.

in iusta condemnatione Dominus iustitiam suam patefaciat. Et alibi inquit: Sic LOQVI NON SOLEMVS.

^b Qualis hic fucus sit, supra ostensum est. Ibid. fol. 354.

Itemque alibi: *Sapè iam dixi, NOS NON ITA LOQVI SOLE RE, ut dicamus,*

Ibid. fol. 349.

DEVM homines aliquos condidisse exitij ipsorum causa. Itemque alibi: NOSTRVM NON EST dicere simpliciter

Ibid. fol. 355.

DEVM creasse quosdam ad perditionem, sed ad gloriam suam iusto quorundam exitio declarandam. Item alibi, vbi Castellio

nis verba aduersus Calvinum recitantur, quæ sic sonabant: Caluini esse sententiam, quòd DEVS maximam mundi partem,

Ibid. fol. 339.

R nudo

nudo p[ro]p[ter] voluntatis suae arbitrio creavit ad perditionem. Res-
spondet Beza: quàm falsa sit haec calumnia ex ipsis Caluini
Ibid. fol. 341. scriptis apparebit. Rursus alibi: Dicis à nobis tradi maximam
partem hominum esse creatam ad perditionem. Mox addit Beza:
Ibid. fol. 341. Tu tamen propterea calumniator esse non desinis, qui in accusando,
de tuo aliquid adijcis. Itemque alibi: Non censet Calvinus sim-
pliciter idcirco conditos reprobos, ut perirent, sed ut sua ipsorum
culpa pereuntes iudicium DEI comprobarent. Demum longè
Ibid. fol. 341. maximum est, quod tanta inficiatione sese à veritate sepe faci-
ciat, cum dicit: *Commentum de absoluta DEI potentia exe-
cranda est blasphemia.*
Sese condem-
nant.

186. Sit itaque execranda blasphemia: & sint execrandi
Doctores, qui istam eructant, eaq; totam complent Ecclesiam
am. Quid nos non diceremus, cum Beza dudum execrationi
huic obnoxius, & in omnibus scriptis suis huius blasphemiae
reus factus, de seipso id testetur, & clara voce in seipsum sen-
tentiam dicat?

187. Quàm autem impudenter & malitiosè hanc doctri-
nam suam & verba sua negent, eiurent, & execrentur, hacte-
nus luculenter demonstratum est, & subijcientur etiam quae-
dam alia.

*Cruditas Cal-
uiniana.* 188. Interim verò notandum est, quòd Beza dicit, ita
Crudè & simpliciter eos non esse loquutos. Quid verò sunt
illae crudae sannae & cruda illa ludibria in creationem hominis,
quae hactenus recensuimus? Quid crudius & expressius dici
poterat? Nisi velit, quod in margine aliquoties notauimus,
dicere, nunquam ita crudè quicquam eos dixisse de absoluta
DEI voluntate, quin non sine fuce assiduè aliquid de occul-
ta iustitia DEI, & peccatis in homine hærentibus, intermi-
scuerint, ut cruditas illa leniretur.

189. At hoc ipsum est, quod iuventutem pietatis amane-
rem, tum in hac tum in quavis alia controuersia admonemus,
de cothurnato & versipelli isto Diabolo, quo Calvinistae agi-
cantur

rantur, qui ubi sentiunt, homines grauius illorum stupendis
blasphemijs offendi, paulò post diluto mendacio & putidissis
mancipatione blasphemiarum & scelerum suorum, multos
ἀνεκτάς animos iterum mitigant, & resultantes inficiando,
rursus eblandiuntur & attrahunt, atque suffocant. Qui hoc
nouerit, infidias eorum eò facilius deuitare poterit.

190. Neque hinc præterire possum, quin mentiendi infi- Alla demon-
ciandi que effrænem ipsorum libidinem etiam hac in parte ape- stratio men-
riam, cum suum faciunt discrimen reprobationis & damnatio- daciorum
nis, multosque strophis illis circumueniunt. Caluiniano-
rum.

191. Nam ut diximus supra, faciunt reprobationis caus- De reprob-
sam nullam, quam ipsam DEI voluntatem, damnationis au- tione & exe-
tem causam dicunt esse peccata hominum. Hoc ipsorum pu- quitione re-
tidum commentum, ut primum suimet obliui sunt, quomodo probationis.
ipsimet euertant, & affirmant iterum, quæ prius negarunt, obis-
ter hic quoque annotandum est.

192. Sic enim sex illi Caluinistæ in Thesauro suo confi- Thes. ver. &
tentur: *Quòd igitur alios per gratiam seruat, alios uero per in-* orb. fid. fol.
stitiam damnat, non est alia causa querenda, quam definita ipsius 279.
voluntas & absolutum beneplacitum.

193. Constat, quòd in absoluto beneplacito nullam ad-
mittant causam, quam meram DEI voluntatem, quam et-
iam absolutam hoc loco definiunt, & explicationis causa, ne
quid obscurum maneat, addunt *damnationis nullam aliam*
causam quam definitam DEI voluntatem querendam esse.
Vbi ergo illa distinctio, reprobationem, absolutam respicere
voluntatem, damnationem uero culpam & peccata hominum?
an non utrinque absolutum beneplacitum? vos *εποφθαίοι* &
vorticosi Caluinistæ, agnoscitisne uestram vertiginem & pro-
fundam non caliginem tantum, sed noctem mentis ue-
stræ?

194. Quid hoc? quod alibi Beza dicit, executioni decreti Resp. 2. ad
æterni causas medias subordinatas esse, *cuius causa sola sit* Colloq. Mon
F ij DEI tub. fol. 188.

DEI voluntas? an non ergo damnationem, ut causam me-
diam & præcipuam quidem executioni decreti subiectam me-
ro & absoluto *DEI* decreto vel beneplacito, in quo nihil
causarum, ut dicitis, præter nudam & solam *DEI* voluntate-
tem, existit, acceptam fert, ita ut damnatio nullam causam,
nullamq; originem habeat, quam ipsa habet reprobatio?

Ibid. fol. 188. 195. Et paulò post addit: *Destinationis ad damnationem
nullam esse causam quam profunditatem voluntatis diuinae,
quam ibi adorandam censet.* Adoret hanc voluntatem, quisquis
volet, sanè terribilis est, qua perterrefieri necesse est, cum elec-
tos tum reprobos.

Inst. lib. 3. cap. 23. §. 1. 196. Et ne existimemus illos discipulos flaccida aliqua
aberrare opinione, & à doctrina præceptoris sui Caluini aliena,
itemq; ne quis existimet discipulos in defendendo Caluino (ut
supra è Beza allegatum est) temere esse mendacij accusatos,
ponemus ipsius quoq; Caluini verba. Sic ille: *Minime con-
sentaneum est PRÆPARATIONEM AD INTE-
RITVM aliò transferre, quam ad arcanum consilium DEI.*

197: Sicut itaque arcanum consilium nihil habet præter
solam *DEI* voluntatem, nullis alijs vel leuiter admixtis causa-
fis, ipsorum doctrinâ: ita præparatio ad damnationem, ut per-
spicue Caluinus loquitur, non causas in homine hærentes re-
spicit, sed semper supina absolutam *DEI* voluntatem suspi-
cit, ex qua voluntate tanquam causa causarum & prima om-
nium causarum, post coepere ex homine emergere conde-
mnationis pustulæ, quæ omnes vnâ cum condemnatione re-
feruntur. Caluini expressa sententia, ad puram putam *DEI*
voluntatem.

Ibid. §. 3. 198: Et ut seipsum dilucidissimè explicet, hæc paulò post
subijciuntur verba: *Vnde apparet quam peruersa sit obstrepenti
a Quâ falsum affectatio, quod data opera suppressit, quam in se agnoscere co-
hoc sic su ra guntur a damnationis causam, ut DEI pretextus eos liberet.*
suo loco in-
allegatum est.

Atqui

Atque ut centies *DEVM esse e autorem confitear*, quod *VERISSIMUM EST*, ^d non protinus tamen crimen eluunt, ^b tam dicit, quod eorum conscientijs. *insculptum subinde illorum oculis occur-* ^c *rit.* ^d quod sentit.

199. ^c *Iam redeat in mentem, quod supra ex discipulis ipsi-* ^d *us audiimus, omnia opera DEI ex absoluto oriri benepla-* ^e *cito, & nullam nisi voluntatem ipsius, causam habere: quod* ^f *si ita est, autor condemnationis DEVS, quod hic PRO-* ^g *VERISSIMO ponit, nullam nisi sese causam habet. Nec* ^h *Calvinus erubescit vel centies DEVM authorem. (ex abso-* ⁱ *luto beneplacito, cui omnia subijciunt, condemnationis appella-* ^j *re, & VULT PRO VERISSIMO haberi.*

200. *Ista paulò diligentius excutienda erant, ut manifes-* *stum fieret sectam hanc inficiando nequaquam tegere posse* *horrendas suas blasphemias, qua omnem pereundi vim ratios-* *nemq; longissimè ab omni secreta mundo, soli & vni defert* *DEO.*

Quinta notio, qualem statuunt fi-
nem hominis.

201. *Aggredimur quintam rationem, quæ licet apud om-* *nes peritos cum tertia coincidere potuisset: hîc tamen se-* *iunctim (sed breviter tamen) tractanda videtur, ut eò magis* *blasphemiarum ipsorum diuisim collocatarum, conspicuarum ac manifes-* *tarum fiant. Scimus enim, quanta mentiendi, inficiandi que facis-* *nora sua, libidine pruriant: & iam supra eius exempla de-* *monstrata sunt.*

202. *Ut ergo constet, eos tradere absoluta voluntate ho-* *mines in finem perditionis condi, & nihil ab ipsis aduentiti-* *um à causis aliunde accedentibus statui, explicanda est illo-* *rum doctrina, qua necessitatem absolutam, quam antiqui fidei* *ipsorum antecessores fatum appellabant, Ecclesiæ ingerunt.*

Fatum Calvinianum.

Fatum.

Infr. lib. 3. cap. 203. Ordiemur à Caluino, qui ad quæstionem de impossibilitate vitandi peccata, quorum DEVS necessitatem sua prædestinatione imposuisse perhibetur, nihil aliud responderet, quàm *Consilio nutuq; DEI ita ordinatum esse, ut inter homines nascantur ab utero morti denoti.* Atq; sic quæstionem illam approbat, ut necessitatem non obscure inferat.

Vol. 1. fol. 340. 204. Beza autem huius interpretis sic explicat: *Propter decretum à DEO ab æterno factum homines exitio destinatos non posse non suo tempore perire.*

Thef. ver. & 205. Quo pertinet, quod statuit cum socijs suis: *Omnia à DEO immutabiliter ordinari & immutabili necessitate evenire.*

Vol. 1. fol. 412. 206. Huius egregiam attexit rationem, ne existimemus temere effluxisse, cum alibi dicit: *Non est nuda in Deo noticia ponenda sed πικρὴν.* Atq; hoc pacto res ipsas ait (ex Caluino) *rationem habere necessitatis,*

207. Necessitatem hanc intelliges, si recolas, quæ supra ex verbis illorum de medijs & instrumentis ad exitium ducenribus, atque ad hunc finem usumque à DEO fabrefactis, & quæ de occulta DEI vi sola & efficaciter in instrumentis agente, ex libris illorum adducta sunt.

208. Nam sic causa πικρὴν in DEO describitur, unde de hanc oriri censent necessitatem absolutam.

De nat. DEI. 209. Cuius necessitatis vim tant opere inculcat Zanchius acer sectæ suæ proditor, ut dicat: *Damus reprobos necessitate peccandi, eoq; pereundi ex hac DEI ordinatione constringi: atq; ita constringi, ut nequeant non peccare.*

Spindl. im 210. Nec dissident corruptores Ecclesiæ Palatinæ: *Quia* (inquiunt) *DEVS operatur omnia in omnibus* (en causam πικρὴν de qua Beza & Caluinus) *non potest non reprobos ex necessitate idem velle, quò DEI providentia eum inclinat.* Et cum manum DEI ibi ostendisset inclinantem corda hominum ad mala, addit post aliquot folia: *Omnia bona & mala ex manu Dei venire.*

III. Evgg

211. *Εὐαγγελικὸς* scilicet & *κατακρικὸς*, ut supra ex verbis illorum ostensum est.

212. Idem dicit: *Conditos ad condemnationem nihil aliud posse quam condemnari.* Ibid. 414. 418.

213. Atque ut absolutæ necessitati omnia eos deferre manifestum sit, nihilque subijcere vlli contingentia aut arbitrio hominis sese noxâ pereundi obstringentis, sciendum est, quod sectæ huius autor primarius Calvinus simpliciter & strictè omnium, quæ fiunt ab hominibus, contingentiam tollat, ut suam causam *κατακρικὴν* integram & immoram retineat.

Tollunt omnem contingentiam.

214. Sic enim inquit: *Et quod Philosophi vocant ἐξ ἀνάγκης accidens vel contingens, id omnino respectu DEI est necessarium.* In lament. Ierem. ca p. 3. v. 38. fol. 420

215. Plura ibidem in hunc modum dicuntur, & addit postea: *hoc delirio nihil magis esse Diabolicum, quam existimare homines seipsos circumagere*, nimirum in perpetratione scelerum. Incumbit enim omnibus verbis eò, ut motrici manui DEI, in absoluta necessitate omnia assignet.

NB.

NB.

216. Hic admonemus quoque pios studiosos, ut sibi à Bezae illa astuta caueant distinctione, qua necessitatem pereundi emollire aut in oculis hominum paululum fucare conatur, cum aliquoties in scriptis ipsius legitur, omnia peccata respectu DEI necessario fieri, respectu autem hominum contingenter fieri.

Admonitio de respectu duplici.

217. Ludibrium est, cum totum hominem cum omni circumagitatione omniq; voluntatis conatu, necessitati subiciat absolutæ, non minus quam Calvinus ipse.

218. Atque hoc quoque in genere monendum, si quis à scriptoribus istis decipi nolit, ut in ipsa, quæ tractant dogmata, diligenter omnem conuertat iudicij vim: alioquin, si cuiquam sufficiat audire aduersariorum in re patrata infirmitatem, atque illico

Admonitio contra Calu-
nias,

ilico eos sibi sat purgatos, esse putabit, strophis & fallacijs illorum, nunquam non duci, reduci, circumduci & seduci potest. Tanta enim est vis tenebrarum & incredibilis fallendi libido: similiter si distinctiones & respectus faciant, ut foeda obiter oblinant dogmata sua, res, res, inquam, introspectantur in ipsis causis & effectis, sicut ab ipsis traduntur, & diligenter ponderentur, an hæc effugia & latebras illas, quas excogitant ad fascinandum lectorem, pati queant.

Sexta notio, qualem statuunt finem hominis.

Odium DEI
in homines
iuxta Calu-
nistas,

219. Sextam rationem adijciemus ex fundamentis dogmatum sectæ huius, quibus DEVM transformant in essentiam, quæ sua natura, fulguret & flammet odij incendio & summo perdendi cæstro, in genus humanum.

220. Vnde hinc quoq; liquidissimè constabit, quòd horum sit sententia, DEVM per se homines condidisse in hunc finem, ut scelerum & mortis plenos omnibus subijciat tormentis & supplicijs.

221. Atque hæc inde astruitur gloria DEI, quam hiantis blasphemiarum tempestatibus de Deo iactitant, eique duos hos in creandis hominibus ad gehennam & supplicium, attribuunt fines: alterum, proximum, ut homines tantis iræ & flammarum gurgitibus disperdantur, & tandem absorbeantur: alterum verò, remotiorem, quem vltimum appellant respectu DEI, ut DEVS in tantis adeoq; exquisitis & à sese ordinatis mero suo beneplacito, absque vlllo alio respectu, supplicijs, atque in homines medijs ab ipso & vi sua ad suppliciorum executionem instructis, sese delectet & summam in iis sibi gloriam ponat.

222. Ad probationem rei pertinet, quòd omnes vno ore negant in creatione DEVM dilectione in omnes homines
propens

propensum fuisse, & negant boni causa omnes conditos esse: ubi certè perspicuè docent, hos non boni finis causa conditos esse.

223. Sic enim Beza inquit: *Traterea quo tandem omnia tua* (loquitur cum Castellione) *argumenta tendunt? nonne hac, ut ostendas DEVM omnes homines amare? hoc verò si ita est, quid retinquitur, nisi vel neminem damnatum iri, vel etiam perituros, quos DEVS diligat? Mox: Est ergo, dices, illorum quoq; parens, quod ad creationem attinet? fateor. Ergo amat, subycies. Hoc ego verò pernego, & FALSVM ESSE, mox comprobabo. Mox: Primum respondebo, contra scriptura consuetudinem te facere a quia patris nomen promiscue & omnium SEMEL hominum respectu DEO tribuas.*

Vol. 1. fol. 342.

Ibid. fol. 343.

Ibid. fol. 344.

NB.

Si non on nill
semel in Aaa-
mo fuit pa-
rens (Nota
bene) quoniam
pater non erat,
horum cen-
satur lupus
fuisse.

NB.

Deum statuit
patrem pluri-
morum dum
taxat odij res-
pectu.

224. Perpende hoc Christiane lector, creatorem fuisse DEVM omnium hominum in Adamo, sed in ipsa creatione omnium parentem esse noluisse. Sic itaque in creatione duo fuerunt creatores hominum, ut ita dicam, alter bono animo creans aliquos & pauculos, quem patrem appellare possumus: alter verò vitricus fuit, qui priuignos creauit suos, aut potius lupus aut saua belua, quæ fecit homines, ut lacerandi, discerpendique atque naturam suam explendi, materiam haberet.

225. Hic iterum quaeritur, qualem censeant DEVM fuisse & esse in sua imagine, qui condidit quos diligere non potuit, nec diligere voluit? nec ita condidit, ut diligere posset, & DEI tamen (sicut isti confitentur simul) imaginem exprimere debuerunt.

226. Atque ut intelligas ab illis statui, odium hoc in homines creationem omnem præcessisse, & homines odij causa conditos esse horum sententia, adde hæc verba superioribus, cum Beza porro inquit: *Nec enim quod iterum repeto, priusquam homines creat Dominus (de ordine causarum loquimur)*

Ibid. fol. 346.

G vel



^a *Intellige cum homines odio habendi nondum essent, fucus est verborum.* *vel a odit vel amat: Sed quos creat, eos ab aeterno vel amare in Christo, vel ODISSE in Adamo decrevit. Mox: Imo cui sano homini in mentem veniet dicere DEVM homines conditurum, prius considerasse, quales essent futuri, ut inde consilium iniret, quam deliberasse QVORSVM EOS CONDERET?* *Atque ut de omnibus omnia simul erucret, subiicit: Odium decreto (hoc absolutum decretum esse supra indicatum est) subiiciendum esse.*

227. Ex quibus constat illos decreto, id est, causae omnium causarum primae & reliquarum motrici, odium subicere & subordinare, ut indicent odii ex absoluta DEI voluntate defluxu homines reprobandos esse conditos.

228. Atque hic opus est scire, quomodo ex isto effluxu ipsissimam scaturiginem DEVM in essentia sua describant. *Ibid. fol. 346.* Sic enim Beza: *Ostendimus odio suo atq; proinde exitio destinasse NE QVE a ID ESSE A DEI b NATVRA ALIENVM, quam minime oporteat ex communi hominum sensu metiri: Deinde c illud ostendimus, DEVM NON ADDVCI c ALICVIVS ODIO, VT EVM EXITIO DESTINET, SED EVM ODISSE, QVEM EXITIO DESTINAVIT.*

229. Perspicua haec sunt: DEI naturam in diligendo genere humano non eam esse, quae hominis esse, debeat, & quae si in integritate perstitisset, esse poterat, ideoq; in DEO non sequi, ut hunc tantum oderit, qui odii causam praebuit: sed DEI naturam esse, ut in sese & ex sese & propter sese odisse velit, & ad odium quos velit, destinet, odioque destinatos exitio involuat. Si quaeras quae illa causa? Respondent ut supra, *MERVVM DEI BENEPLACITVM.*

230. Si obijcitur: at si homines id facerent, beluinum esset, imò Diabolicum. Respondent hi: DEI nativa ratio diligendi non quadrat cum humana, non illius est generis: sed peculiaris & nobis ignoti, ei que contrarij, quod nos charitatem appellamus.

231. Si

Intellige cum homines odio habendi nondum essent, fucus est verborum.

Ibid. fol. 347.

Ibid. fol. 346.
Deus non diligit verè, iuxta Calvinistas.

Ab soluto odio & ex sese homines odisse.

NATVRA DEI.

Id est respectu hominis odium merentis: quia omnia absolute fiunt.

231. Si quaeritur: quid autem hoc, quod DEVS dicitur Charitas? quod dicitur, apparuisse charitatem DEI? quod dicimur in Deo & ex Deo esse, si manemus in charitate? quod DEVS dicitur dilexisse mundum? quod pater dicitur nos diligere? Quod DEVS dicitur *Φιλάνθρωπος*, &c. Quid istae? Respondent iterum, non est putandum, quod dilectio sit, quae nobis seruanda proponitur, aut quod talis sit, quam agnoscere possimus, ut cui fidere ausimus: sed est dilectio ceu non dilectio.

1. Iohann. 4.

Iohann. 3.

Iohann. 17.

Titum 3.

232. Imo urgendum denuo est. Si alia est charitas in Deo, & alia quam nobis praecipit, ubi manebimus in Deo? ubi manebimus in charitate, si maxime, ut nobis praecipit, nos mutuò diligamus? Vbi illa Dei charitas, quae APPARUIT? Annon saeva istae blasphemiae in DEI ut ita dicam, cor?

233. Sed longè adhuc virulentius spicula in DEVM contorquent, cum Calvinistarum Coryphaei sic vnà in Thefauro suo confitentur: *Multa enim à DEO sunt, uti odisse, id est odio destinasse eos a qui mihi mali egerunt, CVM POTVERIT EOS AMARE, id est, uti etiam est permittere homines labi in peccata cum possit impedire, uti quoque homines lapsos non corrigere cum possit emendare: & uti res est, homines in peccatis indurare cum possit emollire: denique uti res est, DAMNARE QUOS POTEST SINE VLLA REPREHENSIONE, IMO MVLTA CVM LAVDE seruare, & alia id genus multa: c. QVAE SI A NOBIS FIANI INIVSTA SVNT. Paulo post nobis a nos sibi mandat DEVS, ut omnes amemus & omnes quandocumque possimus, & quibuscumque possimus officijs iuuenimus atque seruemus.*

Theof. ver. & orth. fid. fol. 44.

a Vides iustitiam Dei calvinianam.

b Iterum vide Calvinianam DEI iustitiam.

c Iterum vide iustitiam &c.

d Iterum hic quoque nota, &c.

234. Iam intelligis omninò, si iuxta Calvinistas in Deo dilectio quaeratur, scilicet ut nobis beneficiat, & nos inuet, frustra id peti: cum talis dilectio in DEO non sit.



235. Deinde, ut videatis dilectionem κατ' ἀντιφρασον ab his Doctoribus DEO attribui, expressè asserunt, à Deo hos quoque non diligi, quos diligere poterat, & quos etiam cum laude (notatè, quòd absolutum & iniustissimum sit odium) diligere poterat: ubi sanè odium istud extendunt super eos, qui odium non erant meriti: & Dei gloriam statuunt in odio iniustissimo, & expressè in odio erga illos, qui NIHIL MALI EGERUNT.

236. Tertio, ut constet eos dilectionem æquiuocè, imò antiphrasticè sumtam (cùm odium appellare deberent) DEO attribuere, eam longè separarunt ab eo, quod dilectio vsitatè & dicitur, & quæ à veris Christianis exercenda est. De qua Christus loquitur Matth. 6. Vos cùm sitis, &c.

Deus odit verè & propriè secundum Calvinistas.

237. Vbi quoque notandum est, Bezam alibi disertè tradere vocabulum odij, cùm DEVS dicitur odisse homines in propria & nativa significatione vsurpandum esse.

De præd. doct. & ver. vi. fol. 69.

238. Hanc nativam significationem, ut ipsi volunt, in DEO intelligere non possumus, id est, non percipere satis, quid sit, quòd DEVS propriè dicitur, odisse, odisse inquam homines, & verè odisse, ita ut in vocabulo nulla figurata significatio toleranda sit, non percipere, inquam, possumus, nisi Diabolum, totumque infernum animo obijciamus, ibique videamus omnes Diabolos nullam ob causam aliam nos odisse, nos homines insectari & persequi, nisi quod tale illorum est flagrantissimum & rapidissimum, in perniciem nostram ingenium: atque sic, quodammodo hi nativam vocabuli significationem exprimunt. Nam nota benè, quòd DEVS dicitur odisse quos diligere poterat, & odisse qui nihil mali egerunt. O fulmina.

239. Qua in parte iam Calvinistarum DEVS longè superat Diabolum, qui licet sit concitatissimo odio in homines, in hos tamen solos suam exercere potest odij vim, qui mala fecerunt: in reliquos non item.

240. Quid

240. Quid nunc Calvinista ex Deo faciant, perpendendum Christianis animis relinquimus. Nec mirum, quod tantopere oderint passionem filij ipsius pro peccatis nostris.

241. Hoc enim addunt etiam: *Nullius hominis indigni*. Beza Ibid. *ratis praeuisionem fuisse, qua impelli DEVS ad odij decretum* sol. 62. *potuerit.* Et alijs verbis post, quod de odio dixit, sic exprimit

Beza: *Necessario quoque statuendum est, ab ipso destinari odio &* Ibid. fol. 72. *exitio quoscumque, illi libuit NULLO IPSORVM IMPROBITATIS, quod ad illud decernendum attinet, HABITO RESPECTU.*

242. Et ne existimemus in vno duntaxat, tantas in DEVM esse furias, Zanchius has quoque patienti ore efflat: *Mala opera (inquit) minime causa esse possunt, PROPTER* De natu. DEI fol. 686. *QUAM DEVS ILLOS ODISSE & a gratia salutis aeternae, vita exclusisse videatur.*

243. Quæro, an hoc tandem non sit Diabolicum satis?

244. Interea verò etiam hic admonere volo, ne quem *Fraus in odij* perturbet noua hinc quoque hominum istorum fraus, ubi *explicatio.* dentur, eadem quæ dixerunt negare. Ita autem negant, ut inter negandum longè atrocius in genus humanum sceleratas De præd. doct. & vero vsu vide in Theol. de DEO ei aculentur voces.

245. Sic enim inquit Beza: *Et vicissim, quamuis, quos ipsi* quæst. prope hsdem verbis fol. 120. *libuit MERA ex sua voluntate ab aeterno NULLA VLLIUS IPSORVM INDIGNITATIS HABITATIONE ODIO ET EXITIO*

destinauit, tamen Id est tum deum sentiunt odium, cum in visco hærent, quem Deum illis posuisse ferunt. *re ipsa non odit nec perdit nisi sua ipsorum corruptione, vel etiam* b Id est, executionem odij occultri. *indomita contumacia, b odium & exitium meritos. Aliud enim* e De fraudulento hoc commento supra dictum est. *est amori destinare, quam re ipsa amare & seruare: & aliud est, odio destinare, quam re ipsa odisse & perdere, cum e inter DESTINATIONEM ET EXECUTIONEM CAUSA*

SAE MEDIAE a A DEO e ORDINATAE intercedant, ipsam ab omni iniustitia specie absoluentes. d Et ab ipso (vt supra audiuius) solo *in egyptu* adepta. e Quibus vt canalibus e Deo in homines malum illud egurgitatur. 246. Vt dictum est.

246. **Vt videas, quid hoc sit, sic perpende: distinguunt inter destinationem & destinationis executionem: quanta id cum fraude fiat, supra dictum est. Iam verò quòd Beza non vult DEO odium in homines, sed destinationem ad odium concedere: porrò repete quæ supra etiam ex verbis illorum & præsertim ipsius Bezæ, ubi odij vocabulum, cùm DEVS odisse dicitur homines, in propria vult retineri significatione, allegata sunt, & videbis Bezam semper esse Calvinistam, id est, summo gradu mendacem: & nihil planè esse nisi futile ludibrium, quod statuit discrimen inter odium & destinationem ad odium. Proprijs enim conuincitur verbis, cùm Deo in se & naturæ ipsius proprietate odium iam ante attribuerit.**

247. **Deinde considera, quid hoc iam porrò sit figmentum seu portenti potius, cùm asserit Deum non odisse quidem, sed destinare ad odium, id est, ad executionem odij in causis medijs. Quid censes homo Christiane? num blasphemijs vlcerosum hoc os suum satis diluit Beza, si maximè figmentum istud reciperemus? Nam si Deus ad odium destinet, utique odit à se destinandos ad odium: aut num destinat ad odium, quos non odit, sed diligit? aut num neque odit neque diligit, sed causis medijs eò impellit, vt odisse possit? Num adeò procacis est naturæ, vt odisse cupiat, si modò odisse posset: & vt possit, num sibi causas fabricat, vt habeat, quo odisse possit?**

248. **Sed quid si à vobis destinare etiam dicitur ad odium, ABSOLVTA SVA VOLVNTATE ET MERO BENEPLACITO?**

249. **Age verò executio destinationis, quid aliud est iuxta doctrinam vestram, quam parefactio internæ & occultæ voluntatis? ita vt executio odij nihil aliud sit, quam rei occultæ in Deo manifesta comprobatio, & exequutio eius, quod Deus in se se vult, & ubi in exequutione id reuelat, quod in natura ipsius reconditum erat, & nunc prodit in ipsius reuelatione, vt**

ne, vt

ne, vt **ABSOLVTE VELVT OPVS
GLORIAE IPSIVS** de Deo prædicetur & celebretur. Quid itaque iam mussitatis assignare Deo odium in homines natium?

250. Itemque repetite vestra illa, Deum causas fabricasse medias, & sua vi *επεργητικὰς* fecisse, vt id expleret & exequeretur, quod in animo & consilijs suis habebat. Vbi sanè non in instrumentis demum Dei statuitis gloriam, sed in eo, quod absolute per instrumenta agat, quæ absolute vult, & facit, vt fiant.

251. Itaque destinat ad id, quod iam in ipso antea erat, sicut in opifice (vt aliàs etiam dicitis) finis ipse, absolute nimirum voluntatis ipsius terminus. Siue itaque dicatis in absoluta voluntate Dei esse positum homines odisse: siue dicatis, quòd Deus in executione, destinet ad odium, idem semper est, & astruitis utrobique quòd **DEVS** destinando odium, exequatur id quod simpliciter est, & simpliciter vult.

252. Insuper reminiscimini in hac vestra lusciosa distinctione, quid statuatis de homine reprobò quem fingitis, à **DEO** in hunc duntaxat finem conditum & in lucem productum, vt totus quantus est in corpore & anima fulminibus iræ **DEI** compleatur, & tandem in æternas perditionis fauillas displodatur. Annon hoc odium in homines? Quid ludificamini Ecclesiam?

253. Satis enim liquet vos atrocius infestare nomen Dei, cum talem odij ipsius natiui (nota Beza) executionem traditis, quàm si odium in **DEO** sese absumens & executionis expertus, statueretis.

254. Quomodo enim homo satis lamentari, suasq; misérias satis de flere potest, quòd hanc saltem ob causam conditus sit, quia **DEVS** ab æterno flagrauit cupiditate perdendi generis humani, atque ideo creavit maximam eius partem (nota iterum Beza) non vt diligeret, aut bono animo
ergo.

erga eos affectus esset, sed ut disrumperet iræ suæ occultum
amentarium, atque omnes illas quas occultè fouebat iras
rum cataractas in eos euolueret, quos condidisse fertur, ut
duntaxat vasa illa essent, in quæ Deus, ea maxima sui parte,
qua odio flagrare dicitur, in genus humanum sese effunderet.

Quenam vo-
cabula prop-
riè & quæ
impropriè ac-
cipiant,

255. Antea diximus illos vocabulo odij uti in natua &
propria significatione, atque ita accipi velle, quoties DEVS
dicitur odisse homines: Iam illud quoque observa, illos in om-
ni doctrina de Prædestinatione, ubicunque occurrunt vocas-
bula amoris, dilectionis, misericordix, redemptionis, liberatio-
nis &c, super omnes omnes homines, à natua significatione
per totam disturbare scripturam, & multis atque varijs exco-
gitatis modis negare verum esse, quod de DEI dilectione
tantopere scriptura prædicat: id autem propriè & maximè
propriè accipiendum esse tradunt, cum DEVS in scriptura
aliquos odisse dicitur, adeò ut omnino velint suum describere
DEVM talem, qui propriè semper oderit, impropriè autem
semper diligit.

256. Quid verò mirum, quòd de DEO istæ plenis vo-
bique disseminent buccis, cum Beza talem rerum istarum in
DEO ponat oblectationem, ut inter cæteras causas odij ipsi-
us in homines, hanc commemoret, quòd DEVS hac *ποικίλη
λοσφία* stauerit *MUNDVM EXORNARE*.

Resp. 2. ad
colloq. Mont.
fol. 167.

257. Mundum? Paradisum itaque seu hortum voluptas-
tis & beneplaciti hunc DEI vult esse, quem Deus sibi inue-
nerit & plantarit, in quo velit absoluta deliciari voluntate, &
in cæteris instituerit, ut mirabili lite inter se assiduè dimicent,
vita & mors, cælum & infernus, iustitia & iniustitia, homines
extremè boni, hominesque extremè mali, suaque inter se ex-
erceant prælia, se mutuo oppugnent, & sese etiam ubi opus
erit, deuorent & absument: tum insuper varias multiplicesque
has rerum afferant vicissitudines, quas iam experimur: in
quibus

quibus omnibus tanquam *ᾠμικιστόφω*, odoratissimo & cultissimo mundi ornatu à Deo sic absolutè conditi, DEVM absolutè & magno suo beneplacito & semper hortum ad finem istum excolentem, oblectari existimant.

258. Concludimus denique ex his omnibus, Calvinistarum doctrinam esse, DEVM non condidisse omnes homines ad bonum finem, sed plerisque simpliciter, per se & propter se ad interitum & condemnationem. Hæc ex verbis eorum demonstrata sunt.

258. Et si maximè disertis verbis id non traderent, omnia tamen in doctrina eorum ita sunt comparata, vt necessariò istud ex principijs eorum oriretur. Sed habetur tamen gratia, quòd ubique istæ euulgarunt, ne quis putare queat, nos nimium esse in pronunciata eorum curiosos.

260. Quid enim multis? unicuiusque hominis creationem, absolutam DEI voluntatem, decretum & propositum, omnes causas non modò antegrediens sed causas faciens medias, reddensq; has efficaces, vt strictè omnia ad finem creatori propositum adducant, constituunt, vt nihil aliud affirmare velint, neque etiam aliud ex hisce principijs effici possit, quàm homines plerisque ad finem simpliciter malum esse creatos.

261. Pugnant itaque cum DEO, cum scriptura, cum omni Christiana pietate & religione.

262. Insuper machinantur adhuc ex principijs istis aliud quiddam, quod cuiusmodi sit, pòst indicabimus, si prius etiam obiter id aperiamus & diluamus, quod toties in medijs Blasphemijs vbi de absoluta DEI in hominibus perdendis voluntate, loquantur, dogmate suo de peculiari Dei iustitia, obgannunt.

263. Multum ibi fraudis occultant, vbi hoc fuce sœua, in quibus sese produnt, illinunt iacula, atque eam ob causam

H

illinunt,

Qualem statuant fidem in Deo iustitiam.

illinunt, ut profundius pectora simplicium, infanda hæresi sua transfigant.

264. Cùm enim DEO iustitiam attribuunt, non modò nihil est reuera iustitiæ, de qua illi loquuntur, sed sæua & impetuosa tyrannis summaq; iniustitia.

265. Iustitiam hanc, quam DEVS nobis præcepit, negant esse iustitiam, qua DEVS in se præditus est: *Facere enim DEVM, quæ si à nobis fierent, iniusta essent: neque verò eum teneri illa iustitia & amore erga nos, quo nos obligamur vi præceptionis ipsius.*

Theol. orth. & ver. fid. fol. 44.

266. Hinc Rennecherus: *Sic aliquod opus esse potest, quòd DEVS non ideo vult, QUASI ILLVD IN SE IVSTVM SIT: SED ILLVD IDEO IVSTVM EST, QVIA DEVS ILLVD VVLT ET BONVM ESSE IVDICAT.*

Aur. sal. cat. fol. 134.

267. Atq; hoc est, quòd DEVS ab illis censetur exlex, id est, cui alia sit iustitia quàm illa quam hominibus imposuit: & idcirco etiamsi homines ad amussim omnem iustitiam in lege præceptam implerent, negant tamen eam quadrare ad normam iustitiæ eius, quæ in DEO est iustitia.

268. Hinc iterum Rennecheri verba: *Ipsè igitur solus suæ voluntatis est unica causa, & non alius: nemo enim ei præscribere potest, quia nemo est illi æqualis & superior.* Similia inveniunt apud cæteros quoque, qui omnes suum sectæ excolunt apostema, quod Zuinglius resorbuerat, cùm DEVM legum vinculis, id est, iustitia illa quam nobis præscripsit, sic eximeret, ut DEVM (hanc ob causam discipulus Beza DEVM appellat ἀναίμων & ἀναρχον) tauro compararet, qui pro libitu, nimirum cùm sit ἀναίμων & ἀναρχος suo in genere, ineat gregem, &c.

In lib. providentia lib. 5.

De præd. doct. & vero. vsu fol. 118.

269. Si quis velit scire doctrinam Calvinistarum in corrupta ab ipsis Ecclesia Palatina, legat probosum Spindleri scriptum. Ibi DEVM dicit in malis cooperari cum malis.

Im sehr notwendigen be- richt. fol. 151. 176. 179.

Novæ

Noua *συνέχεια*, & noua iustitia: & noua *συνέχεια* duplicis inter se pugnantis iustitiæ: & talis *συνέχεια*, vt Deus operetur, quæ alijs vt operarentur, prohibuit, imò in ipsis efficiat, vt contra ipsius agant legem.

270. Beza alibi hæc omnia sic explicat: *Affirmamus enim, Vol. 1. fol. 376. boni & mali discrimen cadere in DEVM non posse, etiamsi*

QUATENUS DEVS EST SVO PECULIARI ET PROPRIO MODO, a omnium & singularum rerum causa sit. Nam omnia quatenus DEI AGENTIS b DE CRETO & voluntate sunt (vt ait c Apostolus) siue p^r bona siue per mala instrumenta OPVS SVVM EXEQUATUR, non SOLET ita loqui, SEMPER IVSTA, bona & sancta sunt.

271. Audimus itaque peculiarem ac proprium iustitiæ modum esse quem DEO assignat, qui nihil proprii habeat cum illa iustitia, qua ad imaginem ipsius conditi sumus. Et miramur, quomodo DEVS in sua iustitia peculiari, atque homo ex appposito in sua quoq; iustitia peculiari, illud commune facere possint, vt dicatur homo in iustitia, in qua stare debet, ad imaginem iustitiæ DEI conditus.

272. Ad quam ipsam iustitiam strage peccati amissam, resurgere nos iubet Paulus, Ephes. 4. promittens nos iustitiæ DEI & imagini DEI, ad quam conditi sumus, responsuros, si hanc quæ in Christo præcipitur & offeritur, apprehendamus.

273. Iam itaque admonitus sis pie lector, vt cum voluntati & decreto absoluto assidue isti mangones aspergant vocabulum iustitiæ, ne tibi iustitiam ab illis tradi persuadeas, quæ in illo æquo & bono consistit, quod Deus nobis præcepit: sed scias iustitiæ vocabulo peculiari modo, qui huic sectæ familiarissimus est, id est, fallacissimo modo, vsurpari. Scias etiam cum in absoluto odio Dei, odijq; executione Calvinistæ nihil nisi iniustitiam & tyrannidem crepent tingere tamen & oblinere illas truculentas voces iustitiæ appellatione.

H ij 274. Nov

274. Necessè itaq; erit κατ' ἀντίφρασιν semper intelligas
ubicunque illud exscreant, & proprio sibi conficito fallendi
genere, suas eo magnonifant blasphemias. Non aliter quàm
suprà quoque audiimus, cùm DEO dilectionem attribuunt,
quam tamen negant, eo modo accipiendam esse, quo dilectio
à nobis accipi & intelligi solet, ex præcepto quod DEVS
nobis de dilectione præscripsit.

275. Sunt homines, qui lucem tenebras, & tenebras lucem
appellant, & ascititio colore omnem suam horrendam
pingunt doctrinam, vt sic sensim & furtiuè in Ecclesiam irre-
pere queant.

276. Beza denique, quam in DEO iustitiam sibi ima-
ginetur, sic exponit: *Vtcunq; tergiversetur (D. Andreas) sè*
posito, quòd DEVS omnes homines ad æternum exitium NVL-
LA IPSORVM CVLPA PERDENDOS, non aliter
a
Interim tamè
ad similitudi-
nem suam
conditos,
a
condidisset, quàm tot animantia ad lanienam & mactationem
condidit HOMINVM nutriendorum causa (hoc enim ego
dictum volui, non autem hoc duntaxat, si nullius ex peccatoribus
MISERERETVR) non posset tamen iniustitie argui.

277. Atque hïc Bezæ semper esset iustus ille DEVS,
si homines omnes non tantùm maximam partem ad nutrien-
dum odium suum, & ad perniciem duntaxat condidisset:
Quocirca illi tantundem sonat, cùm DEVS dicit, faciamus
hominem ad similitudinem nostram, vt etiam dicere potuisset,
faciamus hominum genus vniuersum ad imaginem nostram,
vt illud laniemus & discerpamus, nostramque expleamus in-
gluuiem.

278. Si quæritur, num autem hoc iustum esset? Responde-
det Beza, imo iustissimum, puta iuxta iustitiam, qua Deus ius-
tus est, in qua iustitia solet & potest homines nihil adhuc mali
nihilque poenarum meritos, condere in finem laniens, & lani-
nare, vt suam saturet in hominibus perdendis animum *οὐκ ἔστι*
πρόβλημα.

279. Quod

279. Quod verò DEVS talis esse non possit, hinc constat, quod est Bonus & omnia illa quæ fecit valde sunt bona: neque nobis tantùm ita videntur aut videri debent, sed Deus ipsemet vidit omnia valde esse bona quæ fecerat.

280. Vbi vtrumque semper cohæret, alterum quod à bono nihil nisi bonum creari possit: alterum quod ea quæ creata sunt bona, & præsertim quæ ad Dei imaginem, ad sibi quoque bonum finem condita sint.

281. Quantumcunque itaque Diabolus oblatret, in doctrina de creatione hominis, nobis satis est hominem primum & in homine primo omnes homines (omnes enim benedictionem primi & multiplicationem acceperunt) consilio DEI, atque singulari & exquisito consilio DEI, ad Dei, in quo nulla est mors mortisue causa, imaginem, esse conditos, & ad mortem neminem condi potuisse. *Nec etiam talere & mori potuissent, nisi creationis finis fuisset, stare & vivere.*

282. Contra hoc fundamentum, agè procedite vos Calvinistæ, vos Ianiij, quorum corda *cu[m] tam g[ra]uis g[ra]uior* semper fluunt, & rugite quantum potestis.

283. Interim nos procedemus, vt ostendamus, quid præter cætera infanda atque hætenus enumerata in vestra delireat doctrina.

284. Vestra est doctrina, *Omnes homines in Adamo eadem conditione esse pares.* Sic Kimedoncius asserit: & Calvinus inquit: *Ab initio par & indifferens hominum erat conditio.* Iam hoc perpendite. *Calvinistæ principia posuerunt, ex quibus sequitur NEMINEM ad finem conditum.*

285. Si omnium par eademque conditio in ipsa creatione statuenda est, & hætenus verò tradidistis absoluta voluntate & per se plerosque ad interitum esse conditos: quaritur quos & quot censeatis homines ad bonum conditos esse finem? *Kim. de vn. red. fol. 522. In Iohan. ca. 12. vers. 22. & 40.*

286. Si enim vnum duntaxat hominem staueritis conditum ad perditionem, & creationem hominis eo fuisse institutam in homine illo, iam certè ad eandem & parem atque

INDIFFERENTEM (nota bene) conditionem omnes attrahetis homines. Et fabula atque occulta vestra à *ἀντιφρονος* manifestatur fraus, qua dicitis aliquos ad bonum esse conditos finem.

287. Si enim quæritur, qui sint illi aliqui? Respondetur ex verbis vestris: sunt illi (iam nota à *ἀντιφρονος*) qui pari conditione, eadem conditione, indifferenti conditione cum alijs sunt conditi, qui simpliciter perire debent. Iam huc referas, quæ supra audiimus, de absoluta voluntate, de horologio, de *κατασκευασμένη* massæ in Adamo ad interitum. Vidēsne quid moliantur?

Calu. in Mala. cap. 1. fol. 745. 288. Addendum etiam hoc, quòd dicunt, *Omnes homines equaliter in persona Adami fuisse maledictos*. Et quod nigrius adhuc est, *in Adamo omnes esse REPROBOS & additos ad mortem aeternam, atq; maledictos à primo ad ultimum hominem.*

Inst. lib. 3. cap. 23. §. 7. Item: *Omnes homines in Adamo aeterna morti esse mansipatos, admirabili illi consilio, scilicet absoluto DEI.*

289. Quòd si itaque reprobatio fixum & immotum Dei est propositum, quòd si voluntas Dei absoluta & ineluctabilis est, adeò ut quos semel maledictioni obnoxios fecerit, nunquam in omnia secula inde liberet, & præsertim, cum eorum nulla sit vnquam constituenda salus, qui REPROBATIONIS telo iam sunt transfixi: expedite iam nobis hunc nodum, quomodo vestra sententia de decreto absoluto, & de vestra reprobatione persistere, & interim hoc quoque persistere queat, reprobos & maledictos ad gratiam reuocari: si istæ apud vos manent inconcussa (non enim facile euertere voletis vestra ab omnibus tradita principia, quæ ut *ἀντιφρονος* adorari vultis) iterum quæro: Quos homines, aut quot homines censeatis in bonum finem à Deo esse conditos? & quot existimetis per Christum esse redemptos? aut num putatis, vllum aliquem venisse Christum?

290. Vbi habebitis DEVM bonum? vbi DEVM nos-
tri miserentem? an non hæc omnia eò tendunt, vt sensim om-
ni in Deum fiducia incisa, æternum illum bonum, veracem
& misericordem Deum in mali principium & originem causam
tamq̃ damnationis TOTIVS generis humani transformetis?

291. Iam istac quoque colligite, quòd dicitis: DEVM Beza vol. 1.
energiam in Adamo dedisse vt peccaret, ideòq̃, nec potuisse, nec fol. 361.
voluisse non peccare: aut vt alibi dicitis, Adam voluntatem ne- Thef. ver. &
cessariò fuisse prolapsam. orth. fid. fol.

292. Hic ad peccandum motus, qui homines ad repro- 82.
bationem vrget, signum est Calvinistis infallibile æternæ &
immutabilis iræ diuinæ: Quò ergo putent genus humanum
vniuersum in Adamo, redactum esse, nulli non liquet.

293. Et cum DEO hunc motum ascribant, pendentem
ex absoluta eius necessitate, quid de DEO sentiant, & quem
DEVM faciant, ne videamur iniquis aut maleuolentis
eos premere; verbis Bezae intelligi potest, qui sic inquit:

*Quod si rursus hanc mutabilitatem ex bono in malum, DEVS De predest.
effecisset, non minus profectò habendus esset MALI AV. doct. & vera
TOR, QVAM SI MALVM AB INITIO CRE. vsu fol. 9.
ASSET: ac multo etiam magis, si quo modo illum bonum con-
ditum, in MALVM sese transmutare^a coegisset.*

294. Sufficit nobis, quòd consentitur, primò si Deus a
etiam faten-
tur, vt modò
& alias de-
monstratura
est.
in Adamo mutabilitatem effecisset ex bono ad malum: dein-
de si hominem bonum conditum, in malum sese transmutare
coegisset, quòd PROPECTO non minus esset mali autor, b
Quo certè spe-
tat absoluta
necessitas.
QVAM SI MALVM AB INITIO CREASSET.

At nos hîc subsumimus, primò quòd efficaciam illam Deo
assignent, vt qui omnium tam bonorum quæ fiunt, quàm
malorum, causa sit *ερεγγυπηνη*, & causa *πρασπηνη*, sicut suo lo-
co audiuius: & qui insuper in Adamo mutabiliter hanc è
bono in malum, vt iam verba illorum sonabant, DEI *ερεγ-
πηνη* esse factam doceant: Deinde, quòd astruant coactionem,
cùm.

eum in iisdem verbis stabiliunt necessitatem absolutam. Quos
circa inferimus ex illis ipsis datis & concessis, quod tradant,
DEVM esse autorem peccati, & malum ab initio, ab ipso
creatum esse.

295. Quisquis Calvinistam quempiam intuebitur, pun-
gat eum, ut ad istum nobis respondeat syllogismum.

296. Non ergo Calvinistæ hoc tantummodo moliuntur,
ut DEVM in maxima hominum parte eiurent, sed etiam
incumbunt principiis suis, ut eum qui Pater est, Domini nos-
tri IESV CHRISTI, toti generi humano inuisum &
execrabilem reddant.

297. Sufficiunt hæc. Illud tantum adhuc addendum est,
quibus argumentis hæc scelerum portenta probare conen-
tur.

Argumenta aduersariorum.

298. Probationes illorum huc ferè redeunt, ut duo pos-
sint constitui genera. Prius est, ut ipsimet, quamprimum de
probatione sollicitantur, aut in scriptis suis eo compulsi necesse
tandem habent, horum dogmatum rationem exhibere, atto-
niti & quasi epileptici stent, & patrata facinora, magna turpi-
tudine mendacij negent, & calcitent.

299. Atque ad hoc frequentissimè recurrunt argumen-
torum suorum principium, ceu asylum & speluncam scelerum
& improbitatis suæ,

300. Posteriori probandi genus est, quod Beza sic pro-
ponit: Demonstrari posse, inquit, EX IPSA VERA,
NATURALI DEI NOTICIA, & ex ipsius
verbo.

301. Naturalem notitiam ut eam veram appellet, nihil
aliud intelligimus, quam ut Paulus explicat Ephes. 5. Eratis
tenebræ, & Ephes. 4. intellectum tenebris obscuratum, alien-
natum à vita DEI per ignorantiam, quæ in illis est, propter
cæcitatem

*Respon. 2. ad
Colloq. Ment.
fol. 176.*

cacitatem cordis ipsorum: qui desperantes, &c. Ex hac naturali notitia DEI pandunt & aperiunt Calvinistæ istam desperationis in Deo, omniumque blasphemiarum voraginem. Et rectè faciunt, quòd fatentur, suum inde dependere dogma prædestinationis.

302. Neque sanè ipsemet Lucianus alium eius fontem demonstrare potuisset.

303. Quòd autem verbum DEI etiam adiungit, satis seipsum falsitatis conuincit, quippe quòd noticiam naturalem, ortam ex intellectu tenebrato, cum verbo lucido coniungit: quæ non nisi contrarijs inter se principiis in tradendo mysterio regni DEI, opposita sunt.

304. Et inde quoque constat, quòd scripturam pro re nihili habeant, & ad arbitrium suum deprauent.

305. Cuius etiam luculentissimum est & irrefragabile testimonium, cum fatetur, *nullum locum scripturæ extare, qui* Vol. 1. fol. 361. *disertè tradat, DEVM decreuisse & voluisse, ut Adam laberetur.*

306. Quid hoc? cum tamen istud pro orthodoxo, & quasi ex scriptura depromto, ubique tradant: atq; ex hoc omnem illam, quam nunc oppugnamus, deducant doctrinam.

307. Atque alibi dicit: *Scripturæ demonstrari non posse,* Ibid. fol. 185. *sed rationibus duntaxat à posteriori sumtis.*

308. Quòd nihil aliud est, quàm illos ex carnali sensu suo, omnem illam prædestinationis doctrinam cudere, & omnia, quæ fiunt, & quæ facta esse è scriptura traditur, eò referre, ut sibi præsumant, absoluta necessitate omnia fieri, adeoque facta esse.

309. Vbi itaque porro scripturam allegant (quod omnino contra omnia sua faciunt principia, in patrocinium errorum suorum, quos à posteriori, non ex scriptura sumpserunt: adfiscunt vnique, & assumunt nomen DEI in vanum: & fuerantur verbum DEI.



310. Quod iam inde constat, ubi principijs à posteriori sumptis relictis, ad priora progrediuntur, & scripturam allegant, cuius sese iam exuerant praesidio: adeò exquisitum & versatile ad fallendum, hoc sectae genus est.

Docus Prover.
16.

311. Vbi sunt haecenus loco illo Proverb. 16. (ubi Salomon dicit, omnia operatus est Dominus propter seipsum, & impium quoque ad diem malum) pro stabilenda infanda hac doctrina. Quia verò locus is nihil tale omnino habebat, ideo eis necesse fuit, ut etiam in ipso fundamento corrumperent.

312. Sic enim Beza impudentissimo calamo scribere audeat: *Sit denique nobis optimus huius loci interpret Salomon, Voloq. Mumpel.* **TENS IPSO CREANDI VERBO & diei mali, quo nihil aliud quam illa ἀπίστωα declaratur, cum inquit, DEVM CREASSE omnia propter se, etiam impium ad diem malum, Proverb. 16. vers. 4.**

Resp. 2. ad col.
fol. 164.

313. Primo vitur Salomon voce Paal, quae significat fem expolire, id est, ad usum aliquem accommodare, & in nullo unquam loco pro creare verbum id positum est: non vitur voce Bara, quae in sua significatione idem sonat, quod Creare. Liqueat itaque, quanta egeant fraude, ut speciem turpi suae doctrinae obducere queant.

314. Deinde, Salomon ipso in contextu nihil de creatione loquitur: sed de iudicijs DEI, quibus potest etiam impium vsui alicui destinare, atque de hoc nulla inter nos est controuersia.

315. Tertio, si Salomon aliud sensisset vel scripsisset, vim utique historiae creationis maximam intulisset.

316. Quarto, Neque Graecus paraphrastes aliter interpretatus est, cum inquit: *οἱ δὲ ἀσεβῆς ἐν ἡμέρᾳ κακῇ ὄλθονται.*

Beza in 1. Pe. 3. 17. Quapropter quoties isto loco, ut saepe solent, tanta & deprauatione vituntur, atque inde efficere volunt, non pari conditione omnes homines in Adamo esse conditos, fraus illa recurat, quam ipsi ingerunt fundamento, ubi suum primò oletam.

oletum miscent *ἐν τῷ* scripturæ sacræ, atque inde suam foetidam doctrinam eliquant. Qui huius loci amplio-rem explicationem petit, legat thesas meas, Christum esse mortuum pro omnibus hominibus, &c. *Thef. 301. &c.*

318. Sic loco utuntur 1. Pet. 2. *εἰς ὃ καὶ ἐπέθρονον*: loquitur *Locus 1. Pet. 2.* ibi Petrus disertè de ἀπειθεσίαις, id est, non morem gerentibus vocationi, & recalcitrantibus Christi misericordiæ, omni-que ipsius verbo, ad cuius participationem electi & vocati erant, alioquin ἀπειθεσίαις ipsis convenire non potuisset.

319. Ipsi verò interpretantur, quòd creati sint ad incredulitatem & contumaciam. Hinc utitur Beza istis synonymis, quibus depravationem loci accumulatur, cum inquit: *ad incredulitatem esse positos, excitatos, coagmentatos, effictos, constitu- In 1. Pet. 2. ros & ordinatos,* omnia hæc falsò, & contra *ἐν τῷ* atque contra *vers. 8.* ἀγνοίαν. Fœdant, fœdant, & fœdando fœdant homines isti fontes salutis.

320. Sic loco utitur, 1. Pet. 1. vbi *περὶ γνώσων* & Matth. 7, *γινώσκοντες* accipit pro SCISCERE, quod explicat, veluti cognita causa sancire & decernere: atque mens ipsius est, vbi *De præd. doct. & vero usu* DEVS dicitur præsciuisse impiorum opera, & vbi dicitur, *fol. 3. & fol. 4.* quòd DEVS non nouerit impios, nihil aliud esse, quàm *Locus 1. Pet. 1. & Matth. 7.* DEVM decreuisse, ut tales fierent.

321. Putida hæc sunt fundamenta ad stabiliendam terribilem nouamque doctrinam. Nec quicquam prius respondebimus, nisi argumentis cogant hanc Gorgoneam interpretationem, quæ aliena est & ab ipsa phrasi & à toto negotio, de quo in scripturæ locis, quæ citant, agitur, pro orthodoxa & necessaria habendam esse.

322. Interim verò vos Corybantes, si paradoxa ista nobis obtrudere vultis, saltem aliqua specie veri & conscientiæ, si qua eius in vobis reliqua est mica, approbate id, quod tanto cum nisu parturitis: & spurci cum sitis homines, ne existimes- tis nos labia vestra blasphema, duntaxat lingere velle, aut

K ij posse,

pone, si nini nisi rancidos & crassos vestros affertis cerebri & corruptæ mentis vestræ grumos, nullique prorsus innixos probabili argumento.

323. Quomodo vocabulum Paulinum *καταρτησῶν*, eò contorqueant, suo loco indicatum est.

Locus Rom. 9. Vide Beza in 1. Pet. 2. vers. 8. fol. 564. atque in ibidem Rom. 9. 324. Brevis autem est solutio. Primò, quòd Paulus ibi nihil loquatur de creatione hominis aut fine, ad quem homo creatus est. Deinde Calviniana interpretatio convenire minimè potest, cum Pauli sint verba: **SUSTINUIT IN MULTA PATIENTIA VASA PARATA AD INTERITUM.** Si de creatione & fine hominis creandi sermo esset, *καταρτησῶν* nullus esset usus: Calviniani enim talem describunt creationem hominis perdendi, quæ absque vlla longanimitate absolutum & delectabile DEI habuerit beneplacitum.

325. Nec non longanimitas præsupponit lapsum vel casum aliquem. Hunc præsupponere Calviniani non solent, cum ordine causarum absolutam voluntatem DEI summo & primo collocent loco, cui ceu causas medias creationem & hanc subsequutam subordinant corruptionem, omnibus absoluta necessitate & fixo proposito à DEO sic constitutis, ut dicere solent.

326. Adde tertio, quòd cum dicunt Paulum loqui, DEO VM creasse vasa ad interitum, simpliciter mentiuntur. Debebant tetram suam abominationem, si verbo Domini consona sit, vno saltem aliquo scripturæ apice demonstrare. Cum verò nullum habeant, & scripturam fundamento suo & ipso Spiritu sancti *ἐπισημασμένην* elisam, eò contorqueant, nihil agunt, nisi ut perpetuò vtantur petitione & repetitione principij, tanquam rabiosi canes absque vlla fatigatione indefinenter oblatrantes scripturæ. Qui prolixiorum explicationem desiderat, petat ex libello thesium mearum, Christum esse mortuum pro omnibus.

327. Idem

327. Idem morsus Calvinianus est, ubi id quod Lucas dicit cap 2. (positus est in ruinam & resurrectionem) transferunt ad absolutam illam perditionis necessitatem: & quod immanius est (nota bene) ex hoc loco inferre volunt, simpliciter & absolute Christum multis esse **POSITVM ET EXHIBITVM IN MORTEM ET CONDEMNATIONEM**: Sicut aliàs etiam supra notatum est, quòd tradant **DEVM** absolute constituisse **ALIQVOS IN CHRISTO INDVRARE**. *Quid de Christo sentiant.*

328. Suo quoque loco dictum est, quòd per terminos suos Simpliciter & Absolute atque Necessario omnem excludunt contingentiam, atque idcirco sicut Deum in se faciunt originem boni & mali: ita Christum constituunt *καὶ αὐτὸς & ἀπὸ αὐτοῦ*, tum vitam tum mortem hominum.

329. Interim, si quid habeant argumentorum, quo impulsus Christum pro tali Gorgone miseris peccatoribus obijciendum esse censent, proferant: nisi proferre possint, nos scripturam excuti nobis non sinemus, quæ testatur, Christum in salutem & vitam **MVNDI** venisse, nec venisse, ut animas perderet, sed ut saluaret: Furat & frendeat Diabolus aduersus hoc Euangelium nostrum, quantum potest, & quantum habet. Deus mox ei perimet fauces. *Luc. 7.*

330. Adversarij vero si nihil horum, quæ ei iaculantur, demonstrare queant, dicimus eos esse Cerberos, & hostes tum Christi tum vitæ nostræ.

331. Atque indefinenter postulamus, indefinenter pro uocamus, magno poscimus clamore, ut scripturam, ut scripturam aliquam & aliquam tandem nobis demonstrent homines, siue multos siue paucos (sat est, si vnum demonstrare possunt) hoc consilio & fine à **DEO** creatos esse, ut pereant: aut ut demonstrent illis Christum **Filium DEI** missum esse pro executione occulti decreti, ut per ipsum & in ipso perire necesse habeant.

332. Vos Calvinianæ cochleæ hîc vestra protendite ex
vmbrosis specubus mendaciorum & blasphemiarum vestra-
rum cornicula, si qua habetis.

333. Sed puto per Dei gratiam in prioribus scriptis no-
stris, vobis decussa esse.

Locus 1. Thes. cap. 5. 334. Scitè alio vitur loco Beza 1. Thessal. 5. Sic inquit:
In scholijs, in 1. Pet. 2. vers. 8. *ubi in simili prorsus argumento Paulus electos opponens reprobis*
DEVS inquit: ἡμεῖς οὐκ ἐγεννηθήμεν ἐκ ἀδελφῶν, ἀλλ' ἐκ θεοῦ καὶ ἰσχυροῦ πνεύματος
ejus, &c. id est: Non condidit nos ad iram, sed ad salutis con-
secutionem, per Dominum nostrum Iesum Christum. Nam certè
SI NULLOS DEVS AD IRAM CONDIDIT,
frustra hoc dictum erit.

*Bezana argu-
mentandi rat-
io.*

335. Ita benè tu vetule Theologe à remotione contrarij
vnius ad positionem alterius argumentari didicisti.

336. Exerceamus autem paululum hunc profundum
disputandi veteratorem, & videamus egregias consequentias.
Petrus in eadem Epistola 1. vers. 18. inquit: Scientes quòd
non corruptilibus auro vel argento redempti estis, &c. Bes-
za, heus Beza, quid argumentabimur iuxta acumen tuum, &
singularem disputandi rationem? Nonne sic artificio vestro
argumentabimur? Vos non estis redempti auro & argento,
sed precioso sanguine Christi: Ergo sequitur, aliquos auro
& argento esse redemptos, & idcirco sanguine Christi non re-
demptos esse. Et ibidem vers. 23. inquit Petrus: Renati estis
non ex semine mortali, sed ex immortali. Quid inde sequitur?
Hoc sequitur: Vos non estis renati ex semine mortali, sed
immortali: Ergo aliqui sunt, qui renati sunt ex semine non
immortali, sed mortali. Atque ut hanc ratiocinandi formam, ut
certam, & apodeicticam probemus, cum Beza dicemus, NISI
ILLVD ESSET, FRVSTRA HOC DICTVM
ERIT. En sic habes axioma & fundamentum, cui ceu me-
ro flatui hominum istorum tota imposta est vis Prædestina-
tionis Calvinianæ.

337. Ves

337. Verum in re tanta locos omitamus: serio hoc dicimus, Calvinistis sacrae scripturae non tantillum honoris & dignitatis deferre: Dicimus etiam hoc, Bezam Sycophantico mortu scripturam rodere, & contra propriae conscientiae testimonium his crassis absurditatibus scripturam prophanare, & scelestissime insuper alibi in hunc locum sic exclamare: *Denig, an asperius est, dicere, aliquos praedestinos esse exitio, quam τὸν θάνατον εἰς ὄργην ut loquitur Paulus?*

338. Nimis atrox speculum Cacodæmonis est, cum nec Paulus, nec vllum aliquod electum organum DEI tale pronunciatum ediderit. Est purum putum mendacium, & D. Paulo per summum nefas, imputatum.

339. Vnum adhuc locum inuenio, quem proposito suo applicant. In Epistola Iudæ habetur vers. 4. *οἱ πάλοι προεξεραμμένοι εἰς τὸ πῦρ κρῖμα.* Hinc colligit Beza ad condemnationem aliquos descriptos, id est, hoc fine conditos esse.

Locus Iudæ

v. 4.

Beza 1. Pet. 2.

vers. 8. de

praedest. vero

vsu. fol. 50.

340. Ut videas hominum istorum ludificandi studium: Beza hoc scribit Græcæ linguæ non mediocriter tantum peritus, atque sectæ suæ post Calvinum inter cæteros primipilaris, & novit versutus homo nullam talem huius vocis interpretationem vllibi in sacra scriptura extare, neque etiam vel phrasin vel mentem Iudæ id velle.

341. Cum *προεξεραμμένοι* nihil aliud sit, quam ut usurpatur, bis in Epistola ad Rom. 15. *ὅπου γὰρ προεξεραμμένοι εἰς τὸ πῦρ ἡμετέραν διδασκαλίαν προεξεραμμένοι.* Et hanc habet significationem veram, nimirum de istis iam antea scriptum esse.

342. Nihil autem hic locus tradit de hominibus ad interitum & gehennam, DE I absoluto & horrido illo consilio conditis.

343. Plures ego locos in scriptis illorum inuenire non potui: Quos verò Paræus contrafit in apologia Bibliorū suorum, à me omnes peculiari scripto sunt confutati, in thesibus, Christum esse mortuum pro omnibus.

344. Agite.

344. Agite vero Calvinistæ, hîc nos Christiani ad dextera scripturæ stamus, vosque dum aliquando negatis vestra dogmata in scriptura contineri, & colligi dicitis tantum à posteriori, aliquando autem scripturæ integumentis in medium proditis: hic stamus inquam & clara à vobis, imo clarissima voce flagitamus, ut scripturam proferatis, quæ vestra mangonisatione & καπιλεία non indigeat, & quæ per sese liquido demonstret homines esse conditos, & plerisque quidem ad iram & gehennam, per se, adeo, ut ipsorum nulla alia in creatione, quantum ad ipsos, finalis habitata sit ratio: & probate vestra in commemorata spicula. Hic stamus & eiusmodi scripturam, DEVM creatorem atra, quæ ex scriptis vestris supra sunt scripturam inquam, non stercora vestra & lixivium vestrum, non strophas & glossas vestras, sed scripturam inquam flagitamus.

345. Recident interea spicula hæc quæ in DEVM & scripturam eiaculamini, in ceruicem vestram.

346. Alius vos spiritus premit quem Christiano titulo atque colore pingitis. Certum est, imo & certissimum est, Machometismo vos turgere, & flare has è visceribus ipsius blasphemias.

Fide in Alcorane AZ. 04. 7am 42.

347. Eius enim sententia & doctrina est. DEVM posse viam bonam & certam omnibus, si vellet, dare, sed simpliciter velle, & strictè statuisse infernum coadere quem absoluta voluntate, Diabolis & hominibus implere velit.

348. Hoc tu Tossane, tu Kimedonziane Kedorlohomor, tu Pseudobibliarie Paræ, intelligatis velim, ut cognoscatis tandem nobis satis iam tandem perspectum esse, quas feces Neuserus vester Ecclesiæ vestræ non postremus assertor post se reliquerit, cum eiurata Christiana religione vestrum se Constantinopolin & in ipsam Machometi ingluuiem præbuerit *αέδρομον*, & palam in lucem vomuerit, id ipsum, quod vos gyris adhuc Calvinianis circumuoluitis, donec vestra quoque in aprico fatiscat *ἀποσεισία*.

349. Quod

349. Quod Machometismum potius, quam gentilissimum vobis ascribimus, ratio est in promptu, quod hæc principia vestra ad amussim in Alcorano contineantur.

350. Gentilium non puto quenquam, præsertim interpolitiores fuisse, qui DEO suo adeo atrocem & adeo Cyclopicam aut beluinam potius naturam attribuisset, ut vos, ut vos DEO vestro, DEO inquam vestro: non enim hic est DEUS ^{2. Cor. 5.} V S ille, qui misit filium Salvatorem mundi, & qui mundum ^{Col. 1.} sibi in seipso reconciliauit.

351. Quod si autem tantillum iniuriæ vobis facimus, cur multos iam libros ex professo contra vos conscriptos, intactos & inconfutatos relinquitis?

352. Hæc conscientia strages famam vestram in toto Christiano orbe non frustra cadauerosam facit.

353. Nec porro difficile est agnoscere, quod sternere conamini omnem Christianam religionem, & si vobis mos gereretur, iam magna ex parte strauissetis. Nec vos amplius later, quod in tanta scitis deprehensi prodicione Ecclesie Christianæ.

354. Quomodo Deum quem nos Christiani colimus patrem nimirum Iesu Christi in autorem omnium scelerum & mortis, imò in vastatorem totius non ex parte tantum (sic enim principia vestra se habent) generis humani statuatis, hætenus ex allegatis ostensum est, & copiosius hoc in peculiari disputatione aduersus vos discutietur.

355. Non modo etiam iam passim negatis Christum pro omnibus in salutem venisse, sed etiam astrutis in necem & supplicium absolute ad supplicium iuxta vos conditis, venisse, ut miseris mortalibus per se nihil nisi mors & ipsamet ἀπάληα sit, id est, immanis obsorbendis & deglutiendis hominibus ^{eis ἀπάληα} vorago.

356. Iam itaque non tantum aduersus gloriam Christi, ut annis superioribus fecistis, dimicatis, sed etiam ut pro sauo
K mortis

mortis autore publicè traductum è Christiano exturbaretis populo, iam noua ista excogitastis dogmata.

357. Et patrem Domini nostri Iesu Christi, extirpato filio, omnibus gentibus suspectum, & inuisum reddere conamini. Nec Diaboli consilia & technæ amplius sunt obscuræ.

358. Nos verò coram vniuersa protestamur Ecclesia, si talem coleremus Deum, qualem vos fingitis & Christianæ Ecclesiæ opprobriatis, meritò omnem Religionem nostram à Tarcis & Barbaris explodendam esse. Verùm vestrum est atrox in Christianam religionem figmentum, quicquid de Deo tali traditis. Hunc enim populus Christianus non agnoscat, nec celebrat.

Calvinianus
DEVS.

359. Sin verò vos talem adoratis & colitis Deum, constanter asseueramus, quòd Diabolum & matrem ipsius, id est, mendacium ipsum adoretis.

360. Quod vobis quoque non difficile est, cum tanta luxuriamini phrasium & troporum copia, vt per ἀντιφρασι Diabolum, Deo ipsi substituere, eundemque sub antiphraastico titulo colere perfacile possitis.

Antiphraasis
& Alcosis
Caluiniana.

361. Suprà enim intelleximus hoc nouum artificij vestri genus, in quo pro voce extremæ iniustitiæ, eius è diametro oppositam, vocem iustitiæ: & pro voce extremæ, feralis, & interneciui odij, dilectionis vocem supponere potestis.

362. Hæc vestra est consuetudo ἀλλοίωσις & ἄλλο πρὸς ἄλλο: aut si rem penitus inspicere vultis, nunquid, vt abundè hactenus demonstratum est DEVM statuitis impellentem homines ad peccata & eundemque opponitis Diabolo?

363. Nisi opponatis, DEVM & Diabolum adorabitis
συνωνύμως.

364. Quod si itaque contrariæ sunt voluntates & actiones Dei atque Diaboli, quarimus vtrum colatis? Si non simul vtrunque colere velitis?

365. Sin verò alterum tantum diligitis & colitis, deprehenditur

henditur manifesta in cultu vestro, vocum harum, Dei inquam,
& Diaboli ἀλλοίωσις,

366. Et ut manifestum sit, quem cultum profiteamini, restituantur itaque termini singuli suis subiectis, quos per ἀλλοίωσιν commutastis, nec porro vnquam vestra obscura erit Calcutana Religio.

367. Hunc enim, qui propria vi homines impellit ad peccata, colitis pro Deo, qui certè Deo vero est oppositus, & in scriptura Diabolus appellatur. Illum verò qui NON impellit ad peccata, colere non vultis: cùm is sit Deus verus, & generis humani Pater & miserator appelleretur.

368. Sin verò neque hoc satis est, perpendite, quid hoc sibi velit, quòd Deum colatis, qui ante omnem culpam, damnationis iudicio homines ferit, & iam absoluta voluntate damnatos, in peccata seu Culpam (si culpa propriè attribui potest) præcipitat.

369. Quid est quòd primum ad peccandum motum, seu ἐπιεργασίαν, qua Angelus etiam bonus in malum, id est, in diabolum conuersus est, Deo vestro attribuitis?

370. Et ut pateat, quid sub voce DEI occultetis, illud quoq; obseruandum est, quid vobis sit, aliquid esse bonum.

371. Defluxum enim reprobationis in massam primam ipso creationis singulorum momento in Adamo, per κατάρπισμὸν incidisse, ex vestra opinione demonstratum est: interim verò cùm omnia asseueretis bona fuisse condita & in ipsa creatione, id quod ad perniciem & excidium hominis à Deo in κατάρπισμῳ iuxta vos impressum est asseratis nihil nisi bonum fuisse: quærimus itaq; non immeritò, quid vobis sit bonum?

372. Toti mundo patet, quòd contrarias vocabulis eudæis significaciones: & explicate nobis tandem hanc vestram ἀντιφρασίαν vel ἀλλοίωσιν?

373. Nemi enim non constat, id, quod bonum hac ratione appellatis, non nisi malum, & supremo gradu pessimum esse posse.

K ij

374. Aut

374. Aut dicite etiam nobis, quomodo id peccatum proprie appellare aufitis, quod fit iuxta ordinem & vim illam, quam Deus in creatione primi hominis singulis indidit?

375. Non peccatum est, quod ordinationi & natura illi subest & parer, sed tum fit peccatum, cum a naturæ ordinatione, quam D E V S in creatione speciebus & indiuiduis indiderat, receditur.

Miseri cordia 376. Atque ea quoque ratione intelligitis, à quo vestram nulla in DE O deducatis progeniem, cum necessitatem perditionis ipsi primæ originis sic à D E O vestro constructæ, attribuitis.

377. Quæ causa est, quod incepistis iam negare ab hoc vestro Deo missum esse redemptorem aut saluatorem mundi: Unde quoque fit, vt nulla ratione, huic Deo vestro assignare vllam possitis misericordiam.

378. Quod hinc constat, cum absolutam necessitatem tradatis, quæ fact, vt Deus erga electos, verè misericors nuncupari non possit: Saluantur enim necessariò, & misericordiâ, cum perire non possint, non egent. Reprobi autem misericordiæ blanditijs extimulantur quidem, sed misericordiam consequi non debent, cum nullam finem ante se, quam horribilem animarum voraginem, positum habeant.

379. Quos insuper sic extimulari & diuexari misericordiâ illecebris autumatis, perinde si ad perpetuos carceres damnatus audiat quidem assidue, captiuitate exeundum esse, cum tamen carcer ferreis & aheneis & nunquam aperiendis obstructus sit vetibus.

Iustitia DEI 380. Quod si debant iustitiam Dei sui describant, eo modo, vt supra audiuimus, quærat Christianus aliquis obtinere sibi Calvinistam: an liceat, imò an religiosum, pium, & ex officio sit, sese accommodare vnumquemque ad ingenium Dei sui, quem colit?

381. Si annuat: quærat, an itaque iustum & æquum sit humanum genus diuexare, affligere, diripere, diruere & disperdere.

disperdere, sine vlla causa alia, nisi solo interno beneplacito
& arbitrio?

382. Quærat itemq;: an pium etiam sit, Deum suum hæc
in parte imitari homines primo absq; vlla illorum culpa, odio
clandestino infectari, & tū ad executionem odij omnia instrues
re, vt hominem infestet, & omni calamitatis genere obruat?

383. Si hæc & similia interrogaueris, attentè obserua quid
respondeat.

384. Si dicat: sic faciendum esse omnino: simpliciter in-
telligis hominem hunc ex professo mancipium esse Diaboli,
& non DEI, sed Diaboli facere opera.

385. Si autem neget, siue expressè, expressa inquam
voce: siue vt solent, capitulo in humeros demisso, & humeris
ad ceruicem paululum subactis, hoc est, vt aliquam saltem
verecundiam præferat, & pliusculum sui se pudeat DEI,
nolitque ex professo imaginem DEI sui in se gerere, tu
audacter dicas: mi Calvinista, non mihi tu obrudes DEVM
num, cuius te ipsum etiam cum magno viscerum tuorum tre-
more tantopere pudet.

386. Si dicat: distinguendum esse, Deum habere suam
iustitiam, homines quoque suam iustitiam, *ex æquo* opposi-
tam: facile sic quoque intelligis, detestandum hunc esse DE-
VM, qui iustitia contraria nostræ quam nobis præcepit, in
nos furit, & infestat clam, quod præcepit palam.

387. Facile etiam hoc intelligis, aut DEVM hunc, aut
homines, iniustitiæ crimini obnoxios esse, cum iustum esse non
possit, id quod iustitiæ ex diametro opponitur: præsertim
cum scriptura dicat, hæc ipsa iustitia regi mundum totum à *Genes. 18.*
Deo, quam nobis sectandam præcepit.

388. Hoc etiam subijcio: tametsi fortiter negent, nobis
DEI iustitiam sectandam esse, & magnis contendant viribus
facienda esse opera iustitiæ, illi arcana DEI contraria: non
tamen ipsos satis in hac impietate consistere.

Tradunt sibi
DEVM non
esse imitandū
& tamen ipsi
met eum imi-
tantur.

389. Dupliciter enim suum (quem fingunt) imitantur DEVM: nam ut is, ita illi quoque præcipiunt, quæ ipsimet facere nolunt. Deinde magno impetu iusticia patefacta proculcata affectantur Deum suum omnibus in illis peculiaris iustitiæ suæ in quibus eum definiunt, operibus.

390. Mentiuntur enim affatim & plaustra quidem plena, quod etiam Deo suo attribuunt: criminantur, fallunt peierant, hypocritas agunt, negant facta, negata iterum profsequuntur.

391. Sunt insuper absoluta voluntate rapidi ad fundendum sanguinem, ad excitandas turbas, hominesque tum senes tum infantes nihil vnquam tale meritos, ejiciendi exturbandi que, & si regnum obtinerent, absoluto beneplacito totum proterendi genus humanum.

392. Quantam interim dubitationem & desperationem hac sæua doctrina Christiano populo ingurgitent, sua sponte ex fundamentis ipsorum quisque colligere potest.

393. Nec puto cuiusquam Christiani pectus in tantum filicem vel caucasum conuertum esse, quod non tremat ad istos furiosos furores, quibus homines isti non clam amplius, sed propalam nomen Christianum excindere, aut saltem omnibus in terris inuisum & execrabile reddere conantur.

394. Obstitamus itaque istis furoribus mature: & proxime plura id genus è scriptis illorum audiemus, Deo volente, & gratiam suam pro vendicatione & assertionem nominis sui sacrosancti benigne concedente, Amen.

F I N I S.

152958

AB 152958

ULB Halle

3


002 179 024




TA 20L

122







6

DISPUTATIO
Prima contra Caluinistas.
DE FINE, AD
QUEM HOMO
CONDITVS.

Habenda, DE O adspirante,

Praside

SAMVELE HVBERO
Heluetio, Professore S. S. Theologiae in
Academia Vitebergensi:

Respondente

M. IOHANNES TERELLIO
LAVBACENSI.

Viteberga in Auditorio publico, Anno 93.

2. Martij.

Denuo excusa.

VVITEBERGÆ
Typis Zachariae Lehmanni.

M. D. XCIII.

80-4

